142

15

Lit. 142
no. 19

52

~~C~~. 27
C. 4

Est – 142
Nº 15

i 19826382

[illegible]

# NATVRALIS
# RVMINANTIBVS
# HISTORIA,
## ANNIS AEMYLIANI
## FERRARIENSIS,

ario doctrinæ genere referta.

triplici *Jndice: Autorum ſcilicet, Rerum,*
*& Syntagmatum.*

---

LLVSTRISS. ET REVERENDISS.
PHILIPPVM BONCOMPAGNVM
S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum.

*VM PRIVILEGIO.*




VENETIIS,
Apud Franciſcum Zilettum.
M D LXXXIIII.

del Collegio de la Comp. de Jesus de la Concepcion de Sev.

# NATVRALIS
# DE RVMINANTIBVS HISTORIA,

IOANNIS AEMYLIANI
FERRARIENSIS,

Vario doctrinæ genere reſerta.

*Cum triplici Indice: Autorum ſcilicet, Rerum, & Syntagmatum.*

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
D. PHILIPPVM BONCOMPAGNVM
S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum.

*CVM PRIVILEGIO.*




VENETIIS,
Apud Franciſcum Zilettum.
M D LXXXIIII.

# ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. D. PHILIPPO BONCOMPAGNO S. R. E. Cardinali Ampliſſimo.

EORVM, quæ magnificentiſſima hac rerum vniuerſitate continentur, quædam vſqueadeò clarent, vt neminem lateant: nonnulla verò vſqueadeò deliteſcunt, vt vel nulli, vel paucis conſpicua ſint. Etenim quæcunque in terræ viſceribus, in ſpeluncis, in voraginibus, in obſcuriſque cauernarum receſſibus includuntur, & à vaſtiſſima Oceani vaſtitate abſorbentur, humanis oculis nunquam, vel rarò obijciuntur. Illa autem, quæ ſublimiorem regionem ſortita, in conſpicuo conſtituuntur, omnibus notiſſima ſunt. Siquidem quis eſt tam ſocors, qui Solem eſſe non cognoſcat? qui immenſam eius claritatem non admiretur? & auratos radios quandoq; vix intuendo, ſæpius et vehementer non obſtupeſcat? Terra quippe fæx ac totius orbis quiſquiliæ, Solis illuſtriſſimi planetæ regreſſum quoquo pacto ſentit, vicinitate geſtit, vſque ad penetralia concitatur, & vniuerſa commouetur: atque tam amœna

*viriditate, ac tanta florum varietate decoratur, vt infimus hic mundus recreatus atque renatus videatur. Quis eſt tam agreſtis, tam ſtupidus, vt Luciferi lucidiſſimæ ſtellæ ſcintillantes radios non agnoſcat? Quis eſt tam ferus & barbarus, qui auroram purpureis roſis coronatam, non quàm libentiſſimè ſpectet? Nullus profectò, niſi vel mentis, vel oculorum luce orbatus. Quæ omnia quantùm nominis tui amplitudini conſentanea ſint, neminem certè fugiunt. Tu nanque auguſtiſſime Præſul es Phœbus, tu Lucifer, tu Aurora. Phœbus quidem, vtpote qui clariſſimarum virtutum tuarum ſplendoribus rutilas, tua humanitate omnibus faues, & animos noſtros tuo lumine recreas, ac fœcundos reddis. Tu Lucifer, qui tuis ſuffragijs fœlicitatem ſupplicibus prænuntias, & tuis ſcintillis cunctas caligines noſtras diſſipas. Tu verò Aurora, qui purpureis veſtibus indutus, pijs populis, et cunctis terrarum Regibus, morum integritate præmonſtras, haud eos debere ceſſatione feriatos torpere, cùm poſt caliginoſas veteris legis tenebras, omnia nouæ legis claritate refulgeant. Quorum ſingula ipſe mecum diu cogitans, facere non potui, quin hanc meam Naturalem de* RVMINANTIBVS *Hiſtoriam glorioſiſsimo nomini tuo nuncupauerim. Quandoquidem cùm eiuſmodi animantia ruminent, & pleraque vngulam diuidant, Commentarium iſtud uitæ tuæ ſanctitati ſummopere congruere videtur. Ruminatio enim in Sacris Literis rerum diuinarum meditationem denotat; & vngulæ ſectio, ſanctam ac ſynceram earum intelligentiam hieroglyphicè innuit: quæ duo ad ſingulos catholicos viros ſpectant, præſertim verò ad Chriſtianæ religionis proceres, vti es tu religioſiſſime Antiſtes. Te itaque in ſumma dignitate*

tate

*tate conſtitutum, & præclariſſimis nitoribus, omnibus conſpicuum, tanquam Solem elegi, vt hoſce agreſtes ingenij mei fructus, nominis tui ſplendore cuſtodires, fortunæque, & gloriæ altitudine ſapidiores redderes. Te verò veluti matutinum ſydus adoptaui, vt haſce meas lucubrationes à tenebris vindicares. Te tãdem ceu Auroram legi, vt me ad optima & eximia placidè ac benignè alliceres, & excitares. Dum autem anceps eram, cuinam excudendi negocium committerem, Joannes Baptiſta Boſellus, vir religioſus, morumq; ſuauitate, & literarum cognitione adeò exornatus, vt duobus & viginti annis humaniores literas publicè Venetijs ſummo cum honore ſemper profeſsus fuerit, & etiamnum profiteatur: hic inquam, vt Franciſco Ziletto, hanc prouinciam commendarem, mihi perſuaſit: cui ſanè libentiùs aſſentire volui, tum quia apud me eius conſilia ſummopere polleant: tum etiam, quia ipſe Zilettus in excudendis libris mirandum in modum excellat: & eò magis in hanc deſcendi ſententiam, cùm vterque, & ambo ſimul te ſumma proſequantur obſeruantia. Vale igitur diutiſsimè fœlix, Boſellumq; & Zilettum, necnon Æmylianum tui obſeruantiſſimos, ſtudioſiſſimosq; qua plurimùm benignitate viges, foue: autoritate defende & protege.*

*Venetijs Idibus Iunij.* ∞. IↃ. XXCIV.

*Jlluſtriſs. atque Reuerendiſs. D. Tuæ*

*Addictiſſimus*

*Joannes Aemylianus.*

AVTORES,

# QVORVM TESTIMONIIS, IN HAC NATVRALI DE RVMINANTIBVS HISTORIA,

## Vſus eſt Aemylianus.

### A

Aegyptij
Ælianus
Aëtius
Alcmæon
Alexander Aphrodiſienſis
Albertus
Albumazar
Ambroſius
Ammonius
Amytianus
Anacreon
Andreas Marinus
Apollonius philoſophus
Apuleius
Archimedes
Archeſtratus
Areoſtus
Ariſtandrus Telmeſius
Ariſtoteles
Auerroes
Auguſtinus
Auicenna
Aulus Gellius
Autor de Hiſtoria philoſoph.
Athenæus

### B

Beda
Bartholomæus Euſtachius
Baſilius

### C

Cæſar
Calcilius
Callimachus
Celſus
Chryſippus
Cœlius Rhodiginus

### D

Dantes Aligerius
Dauid
Democritus
Demoſthenes
Diocles
Diodorus
Dionyſius Areopagita
Dioſcorides
D. Thomas

### E

Ennius
Epicharmus

Eſa-

# INDEX AVTORVM.

Eſaias

F

Fernellius
Feſtus
Ficinus
Florentinus de Re ruſtica
Fracantianius
Franciſcus Petrarcha

G

Galenus
Galeottus
Gazæ interpretatio
Græci
Gregorius Gyraldus

H

Hebræi
Herodotus
Heſichius
Heſiodus
Henricus de Aſſia
Hieronymus
Hippocrates
Homerus
Horatius Flaccus
Horus

I

Iamblicus
Ioannes Picus
Io. Franciſcus Picus
Irenæus
Iuba
Iulius Solinus
Iulius Camillus
Iulius Cæſar Scaliger
Iuuenalis

L

Labeo theologus Gentilis
Liuius
Lucanus
Lucianus
Lucretius
L. Columella
Ludouicus Barthema

M

Macrobius
M. Cato
M. Paulus Venetus
M. Tullius
Mathematici
Matthiolus
Maximus Tyrius
Mercurialis
Mercurius Triſmegiſtus

N

Narnienſis
Nicander
Nicandri interpres
Nicander Thyatirenus
Nicolaus de Lyra
Nicolaus Contarenus
Nonius
Nouarienſis

O

Oppianus
Origenes ſiue Adamantius

Or-

# INDEX AVTORVM.


Orpheus
Ouidius

P

PApinius
Paulus Aegineta
Pauſanias
Perottus
Perſius
Petrus Aponenſis
Philoponus
Philoſtratus
Phœnices
Phurnutus
Pierius Valerianus
Pindarus
Pindari interpres
Platina
Plato
Plautus
Plinius
Plotinus
Plutarchus
Pollux
Porphyrio
Porphyrius
Probus
Proclus
Ptolemæus
P. Nigidius

R

RAphael Volaterranus

S

SAcræ literę
Sannazarius
Seleucus Tarſenſis
Seneca
Seruius
Sillius
Scribonius Largus
Solinus
Sophocles
Speronus
Statius
Stoici
Strato
Suetonius Tranquillus

T

TAcitus
Terentius
Thales Mileſius
Theon
Tibullus

V

VAlerius Flaccus
Valerius Martialis
Varro
Vergilius
Verrius Flaccus

X

XEnocrates

Z

ZOpyrus phyſiognomon


*Autorum, quorum teſtimonijs in Hiſtoria de Ruminantibus vſus eſt Aemylianus, Finis.*

INDEX

# INDEX RERVM, QVÆ IN NATVRALI DE RVMINANTIBVS Hiſtoria continentur.


ACcretionis dotes. 62
Accretionis duas eſſe vires in arboribus 61
Achillis epitheton ab alacritate pedum 90
Adam in imponendis nominibus plurimum excelluit 20
Aegyptus crocodilis ſcatet 99
Aegyptiorum Dei Eneph pictura 3
Aegyptij cur hieroglyphicè ſcriberent 22
Aegyptij naturam phyſiologumq; vulture ſignificabant 1
Aetate conſiſtentes cur habeant caloris acrimoniam 52
Aetas conſiſtentia ab Ariſtotele conceditur 61
Aetate florentibus plurimùm ineſt calidi ſecundum qualitatem 51
Aetheris varia acceptio penes Verg. 7
Aeris ſectio in ſuas regiones 7
Alexander Trallianus autor fuit Probl. 61
Alimenti duplex eſt ratio, cui & tertia additur 58
Alimenti regreſſus naturalis an violentus ſit 52
Alimentorum tres præparationes 32
Angeli ſuperiores, inſtruunt inferiores 23
Angeli vtuntur identidem aereis corporibus 10
Angelos Theologorum alij corporeos, aly verò incorporeos ſtatuerunt 10
Angeli cur corpora ſumant 10
Angeli cur aſſumptum corpus in humanam effigiem effingant 11
Angeli cur dicantur venti, & hierarchiæ pennæ 3
Angeli ſecundum Theologos corpora ſumunt 10
Angeli ſecundum quoſdam non edunt ſonos 23
Angeli quomodo inuicem loquantur 23
Angeli quandoq; animata corpora ſibi adhibent 11
Angeli lucis plerunq; vtuntur corporibus inanimatis 10
Angeli quomodo homines alloquantur. 23
Animaliũ quinq; genera Plato conſtituit 8
Animalia cuncta inferiorem cient maxillam crocodilo fluuiatili excepto 98
Animalia cuncta & plantas ſecundũ quoſdam febricitare legitur 51
Animalia non dantur perpetuò febricitantia 51
Animalium ſectio 71
Animalia abſque mare fœcunda 2
Animalia quæ harmonia iuuet 88
Animalis diuiſio penes alimentorum aſſumptionem 32
Animalia quæ cornibus donata ſint, & quæ careant 71


** Animæ

Animæ humanæ uel ſunt in inferno, vel in purgatorio, vel in via, vel in patria 12
Apes ex bouis viſceribus reparantur 119
Arborum ramorum diuerſitas 61
Arboris iuniores rami eſſentiales partes minimè ſunt 62
Arbores habent ſeptem ætates, vt & animalia 61
Ariſt. fuit ſermonis proprietatis ſtudioſus. 21.
Arietes in Aphrica ſtatim cornigeri omnes. contra in Ponto 94
Athenæi verborum cenſura 110
Aues vnicornes & bicornes reperiũtur. 79
Auctio cur videatur fieri in ægrotantibus. 60.
Augendi vires an duæ ſint 59
Augendi uires duas eſſe oſtenditur ibi.
Aurium ſordes quomodo bilioſæ, & quomodo terreſtres dicantur 65

B

Bacchus cur cornutus 56
Beati quauis lingua loqui poterunt. 22.
Bidentes hoſtiæ quænam 28
Bicornium ferientium diuiſio 82
Bicornia cornua gerunt, vel ad propulſandas, vel inferendas iniurias 81
Bicornia ferè cuncta cornibus vacuis donata 82
Bicornia ſolidis cornibus perpauca 83
Biſons vnicorne animal 75
Bonaſus cornibus vtitur ad propulſandas iniurias 81
Boues Phrygiæ mouent cornua 82
Bouis laudes à numiſmate 117
Bouis laudes à religione 118
Bouis vtilitates 116
Boues habentes in dorſo tuber 107
Bos pro homine iuſto acceptus 119
Bouis laudes ab inſomnijs 118
Bouis laudes à frugalitate 115
Bos ægrotus ructat, ſanus nequaquam 48
Boues à cornibus inopes 93
Bos terræ ſymbolum 115
Bos hieroglyphicè tolerantiã ſignificat. 116

C

Cadauerum expultrix diſtinguitur à viuorum expultrice 61
Calor naturalis ſtellarum elemento proportione reſpondet 60
Calor putridus, naturalis æmulus 60
Calor cum humido fœderatus miteſcit 51
Calidi innati ſubſtantia aerea eſt & aquea 52.
Camelus à matris concubitu abhorret. 107
Camelus cur cornibus caruerit 105
Cameli circa pedem Scripturæ ſacræ & Ariſto. conciliatio 106
Cameli in medicina vſus 107
Camelus ſolus cornuum & dentium egeſtate laborat 103
Camelus & ſtruthiocamelus oblonga habent colla 107
Cameli ſitis tolerantia ibi.
Cameli duæ ſunt ſpecies 106
Cameli Bactrianæ bina habent in dorſo tubera, Arabiæ ſingula 106
Cameli aures mutilatæ 103
Camelus cur ſuperbiæ ſymbolum in Diuinis literis 106
Camelus ruminat & plureis ventres habet 104
Cameli fœminæ cur caſtrentur, vt militiæ deſeruiant 107
Capræ dictamum euocandis ſagittis vtilem eſſe indicarunt 89
Capra perpetua febre laborat ſecundum quoſdam 50
Capillos tondendi vſus laudatur 63
Caper hieroglyphicum inhoneſtæ vxoris mariti 102
Capræ variæ traduntur 82
Capreolorum cornua ſolida & decidua. 84.
Capris plurimis vterq; ſexus 83
Caro minutatim inciſa cur ſuauior 53
Caro animalis non recenter mactati cur ſuauior ibid.
Caro humana maximè nutrit 64
Ceraſtes ſerpens à cornu vocatus 79
Ceruis cur cornua decidant 84
Cerui cornu plureis ramos habet, quàm exiſtimauerit Ariſt. defenditur tamen philoſophus 86
Cerui anniculi ſi caſtrentur haud cornuti fiunt 93
Cerui cornu dextrum, ſiniſtrumve ſalutare ſit 91
Cerui cornu in medicina vſus 90

Cerui erant Dianæ dicati ibi.
Cerui cur ſi caſtrentur non fiunt cornuti, ſin verò vituli cornuti euadunt 96
Cerui inter feras ruminant ſoli 89
Cerui hieroglyphicum 91
Ceruus non febricitat ibi.
Cerui cur curſu polleant 84
Cerui vigent pernicitate 90
Cerui meticuloſi ſunt 96
Cerui oblectantur ſymphonia 87
Cerui habent calidiſſimos teſtes 96
Cerui monſtrauere dictamum extrahendis ſagittis vtilem eſſe 89
Cerui an tam annoſi ignorauit Ariſtoteles. 86.
Cerui fuerunt tranſlati in Aphricam. 87.
Cerui carnis qualitates 91
Cerui ætas non eſt à ramis cornu petenda. 85.
Ceruo duntaxat cornua ſolida 84
Ceruæ nonnullæ in Achaia cornigeræ & Epiro 95
Ceruæ cur non ſint cornutæ 99
Ceruos eſſe in Aphrica contra Ariſtot. & Plinium 87
Ceruæ cornigeræ conſpectæ ſunt 94
Cerui caro ſalutaris 91
Ceruorum adminicula quænam ſint. 85.
Ceruis cornua quotannis decidunt. 84
Ceruorum ætatis hiſtoria 85
Cerui cornuti ſi caſtrentur, nec augentur, nec decidunt cornua 95
Ceruorum cornua grauia ob ſoliditatem et proceritatem 84
Ceruorum ſenium non ex ramorum multitudine agnoſcitur 85
Ceruorum ſenium quomodo coniectandum. ibidem.
Ceruus Milanioni, & Atalantæ ſacratus. 90.
Ceruorum cornuum rami 85
Ceruarum purgatio 88
Cerui & ſerpentes naturaliter hoſtes. 90.
Cerui latis cornibus platycerotæ vocantur à Plinio 92
Ceruarum prudentia 88
Cleombrotus à conuicijs vindicatur 14
Cœlum cur rotundum 39
Cochleæ, cancri, & ſcarabæi impropriè cornua dicuntur habere 79
Contingentiæ duo ſunt principia 43
Circulus planarum figurarum capaciſſimus 39
Cornua petulantiam denotant 100
Cornuum materia remota quænam ſit 58
Cornua cur igne molliantur 66
Cornua Saluatoris poteſtatem ſignificant. 101.
Cornua ceruis quotann is decidunt 84
Cornua, auium roſtra, atque calcaria accretionis proprietates retinent 62
Cornua concinnas comas ſignificant. 57.
Cornua capreolorum ſolida eſſe & decidua 84
Cornua inania vel mobilia vel immobilia 82
Cornuum varius color vnde 67
Cornua iactantiam denuntiant 101
Cornua ſolida ceruis duntaxat Ariſtot. tribuit 84
Cornua adhærent cuti 66
Cornua pili & conſimilia an proprie adaugeſcant 62
Cornua & alia beluarum arma, cur ex firma materia fiant 66
Cornua vngues pili & ſimilia ex alimentorum nutriuntur excrementis 58
Cornuum materia vel remota eſt, vel propinqua, vel magis propinqua ibi.
Cornua ſunt illiquabilia 67
Cornuum magis propinqua materia quænam 65
Cornuum materia proxima 63
Cornua cur capiti implantata 68
Cornua ex cutis recrementis nutriuntur. 65.
Cornua non fiunt ex pura neruorum materia 66
Cornuum ſubſtantialis forma, efficiens, & finis 67
Cornuta aſpis 80
Cornua propriè & metaphoricè capiuntur 55
Cornua conſlantur ex dentium materia. 97.
Cornuum propagines metaphoricè rami dicuntur. 85
Cornua, vteri angulos denotant 57

Cornua tum ex cute, tum ex dentium materia gignuntur 98
Cornua vacua cuncta in extremitatibus ſolida 82
Cornuum concordia 70
Cornuum tuber cur fungoſum 68
Cornua ferè omnia inania ſtabilia ſunt. 82
Cornua cur in baſi latiora 70
Cornuum differentia 68.69
Cornu cerui dextrum, ſiniſtrumve ſalutare ſit 91
Cornu cerui in medicina vſus 90
Cornibus antiqui bibebant 57
Corneis cyathis veteres vtebantur 56
Cornibus prominentibus cur flumina figurabant veteres 56
Cornigera plurima bicornia 81
Cornigera cornua mouentia 82
Cornigerorum genus innominatum apud Græcos 73
Cornigera habent pro adipe ſeuum 109
Cornigerorum fœminæ, vel cornibus viduæ ſunt, vel minora geſtant cornua 93
Cornigera pleraq; grandiora ſunt 63
Cornigera vel vnicornia, vel bicornia, vel multicornia 73
Cornucopiæ allegoria 117
Corpus Græcè cur à ſepulcro dicatur. 14
Crocodili hiſtoria 98
Curatio quomodo fiat per conſimilia 64
Cutis olet ſubſtantiam neruoſam 65

D

Dæmones aqueos Semideos vocauit Plato 9
Dæmonum quinam à Platonicis dicantur peregrini. 8
Dæmones quomodo cernantur. 8
Dæmones hirſuti. 100
Dæmones vel ſimplicibus, vel miſtis corporibus vtuntur. 11
Dæmones artefactis corporibus vtuntur. 10
Dæmonem proprium cuilibet præeſſe 8
Dæmones qui cernantur, & qui non. 9
Dæmones quænam corpora vſurpent. 11
Dæmones cur cornuti pingantur. 100
Dæmon in obſeſſis vel latet, vel perturbat humores. 12
Dæmones cunctos bonos eſſe Plato iudicauit. 10
Dæmonum ſectio in bonos & malos anteceſſit Platonis tempora. 10
Dæmon haud humanæ menti illabitur. 12
Dæmones vel artefactis, vel naturalibus corporibus adhibentur. 11
Dæmones vel ſunt aerei, vel tartarei 12
Dæmones quandoq; in obſeſſis fingunt ſe eſſe mortuorum animas. 12
Dæmones non iiſdem corporibus vti. 7
Dæmones aerei infeſtant homines. 12
Dæmonum munera. 6
Dæmones cur introducti ſint à Philoſophis. 6. & 7
Dæmonum genera. 7
Dæmonum vnum, tria, & quinque eſſe genera. 8
Dæmones nobiliores obſcuriùs cōſpiciuntur, & ignobiliores clariùs. 8
Dentium molarium munus 36
Dæmones naturales dotes reſeruarunt. 22
Dæmonum quinam dicantur ſubterranei, & qui ignei. 8
Dæmones non poſſe cogi ad oracula danda. 11
Dæmones reperiuntur humani ſanguinis auidiſſimi. 64
Dæmones capiunt aliena corpora. 8
Dantes poëma ſuum cur Comœdiā inſcripſerit. 45
Dantes poëmata cuncta ad triplex genus redegit. 46
Definitio cur Græcè ὅρος dicatur. 29
Definitio, vel eſt materialis, vel formalis, vel perfecta 31
Definitionis munus. 29
Definitio cur pluribus cōſtet differentijs. 29
Definitio perfecta duas ſolas habet partes. 29.
Definiti materia in definitione quandoq; ponitur pro differentia 81
Definitione claram cognitionem aſſequimur 19
Definitiones perfectæ in Ariſto. organo traduntur 30
Definitio non conſtat ex materia & forma, ſed ex habentibus cum materia & forma propoſitionem 31
Definitio perfecta à naturali non traditur. 30
Definitionis ac nominis comparatio 19
Definitio eſt proprium eſſentiale 29
Definitio perfecta quænam ſit 29


Del-

*Delphinus oblectatur cantu* 88
*Dentium tres ſunt vſus* 35
*Dentium radices latitant in fœtus gingiuis* 59
*Dentium caninorum munus* 36
*Dentium inciſoriorum munus* ibi.
*Dentium tres ſunt claſſes* ibi.
*Dianæ nomen à coruuum figura* 57
*Dictamum vtilem eſſe extrahendis ſagittis cerui monſtrauere* 89
*Dictamum capræ euocandis ſagittis vtilem eſſe manifeſtarunt* 89
*Differentiæ aliæ materiam, & aliæ formam oſtendunt* 31
*Diſcretiuæ potentiæ munus* 40
*Diſcretiuam facultatem agnouit Gal.* 40
*Diſcretiua facultas inter naturales facultates ab Arabibus recenſetur* ibi.
*Diuinæ naturæ, dæmoniacæ, & humanæ ſimulacra* 7
*Diuinitatis ſcintillæ haud æquè in naturalibus rutilant* 3
*Diuinitatis veſtigium vſque ad mundi animam pertingit* 41
*Duo ſunt mentis humanæ inſtrumenta nomen & definitio* 19

E

*EAle fera mouet cornua* 82
*Elephantorum fœminæ Aethiopicæ & Libicæ dentibus inſtructæ ſunt, Indicæ carent* 94
*Effectus eſt imago cauſæ* 39
*Equæ quædam ex aura grauidæ fiunt* 1
*Eructare verbi ſignificationes* 47
*Eſurientes cur ſuauiores iudicant cibos.* 53
*Ethnici neque ruminant, neque diuidunt.* 73.
*Etymologia cur dicatur notatio à M. Tullio* 23
*Excrementorum quatuor ſunt genera.* 63
*Excrementa vel ſunt terrena, vel aquea, vel aerea, vel ignea* 65
*Excrementa aerea & ignea viſum latent.* ibid.

F

*FAmes duplex eſt* 54
*Fatalem mortem vocauit Ariſt. ſecundum naturam* 42
*Fati & naturæ conſonantia* 42
*Fatum quid ſit* ibi
*Fatum frangitur contingentia* 43
*Fato & violentiæ contingentia ſubijciuntur* ibi.
*Flatus non modò à ſuccis pituitoſis ortum ducunt: ſed & à melancholicis* 49
*Flatus vt plurimùm è pituitoſis ſcaturiunt ſuccis, & in humiliori ventre procreantur* ibi.
*Flatus in homine cur generentur* 50
*Flatus cur copioſiores per podicem detrudātur, quàm ructus* ibi.
*Flatuoſi ſpiritus vbi generentur* 49
*Flatuum generatio* 49
*Fibræ quid ſint* 32
*Fibrarum nominum diuerſitas ſecundum Arabes & Græcos.* 34
*Ficus romula, & rumula nuncupata fuit.* 27.
*Fœminæ cornigerorum cornibus vacant ob frigiditatem* 93

G

*GAleni locus caſtigatur* 114
*Galeni locus defenditur* 105
*Galeni verborum difficultas* 104
*Gallia caruit phaſianis* 87
*Genus innominatum quodnam dicatur.* 73
*Genus cur in definitione primum locum obtineat* 30
*Genus denotat materiam, differentia formam, & cur* 29
*Genus cur dicatur materiam ſignificare, & differentia formam* 31
*Gula quidnam ſit* 32
*Gulæ ima extremitas priſcis Græcis œſophagus & recentioribus ſtomachus dicta.* 39
*Gulæ textura* 32
*Gulæ varia nomina* 32
*Gomphoſis quid ſit* 68

H

*HAeretici peruerſè plerunq; diuidunt, nunquam tamen ruminant* 73
*Hebraicè infantem locutum fuiſſe* 22
*Hebręo idiomate vſi ſunt primi parētes.* 22
*Hebręi cur colerent vitulum* 118
*Hebręo idiomate beati atq; damnati vtentur* 22
*Hedera in ceruorum cornibus germinat.* 88
*Heroum duo genera* 9

Heroes vbi degant 6
Heroes dicuntur à Platone Semidei. 9
Heroes quinam dicantur Semidei, & qui non. ibi.
Heroes quomodo generentur ibi.
Heroum etymologia ibi.
Heros quid ſit 6
Heroum generatio ſecundum Homerum 9
Hieroglyphicè cur Ægyptij conſcriberent. 22.
Hippoceruus datur 92
Hippocerui figura ibi.
Hirci ſentiunt riualitatis affectum. 102.
Hircus dęmonis ſymbolum eſt. 100
Homines cornuti cur appellētur, qui adulteras vxores habent 102
Hominis corpus cùm temperatiſſimum ſit, quomodo dicatur calidiſſimum & humidiſſimum 51
Hominis dentes labefactantur deſtillationibus 121
Homo cur Gręcis ἄνθρωπος dicatur. 20.
Homo cur βροτὸς nuncupetur ibi.
Homo cur μέροψ vocetur ibi.
Homo varijs modis ſibi alimenta praeparat. 122
Homo ratione & manu donatus 121
Homo non modò rerum artefactarum, ſed & naturalium finis ibi.
Homo cur ſæpius febricitet 51
Homo cur nouiſſimè fuerit creatus. 121.
Homo ſolus febricitat ex quorundam ſententia 50
Homo eſt calidiſſimus & humidiſſimus. 48.
Homo in viuendi norma delinquit maximè 50
Homo cur rectam figuram habeat 48
Homo ſolus ructat, & cur 50
Homœomerorum forma, eſt temperies 67
Humana caro recrementis haud redundat 65
Humana carne quinam populi veſcerentur 64
Humanum craneum comitiali morbo laborantibus opem fert 64
Humanum corpus eo modo calidum & humidum, quo ver 52
Humanum corpus cur temperatiſſimum ſit ibi.
Humanum corpus temperatiſſimum eſt. 49.
Humanum corpus eſt temperatiſſimum. 51.
Humores quatuor cum elementis conſentiunt 63

I

Idioma ſi vllum naturale, illud eſſet Hebræum 22
Idiomate Hebręo beati atque damnati vtentur ibi.
Idiomate Hebręo vſi ſunt primi parentes ibi.
Indię proceres cyathis ex vnicornis cornu constructis potabant 74
Infans an loqui poſſit abſque diſciplina. 22.
Inſtrumenta duo ſunt, in quibus rerum conſpiciuntur imagines 23

L

Legum excellentia gradus 42
Legum quatuor genera ibi.
Leo ſępius febricitat ſecundum quoſdam 50.
Libra Romana olim ex cornu fiebat. 68.
Librorum caſtigationes pro viribus ſunt euitandæ 104
Locuſta bicornis 92
Locuſtarum genus ſuperiorem mouet maxillam 98
Logicus cur rectiùs definiat 30
Logicus rectiùs definit, quã naturalis. 30
Luna currus cur trahatur à ceruis. 90
Lupercal quodnam ſit 27

M

Mare bicornibus prędi tum 92
Mares fęminis robuſtiores & audaciores ſunt 93
Maxilla quæ mouetur manus officio fungitur 98
Maxilla ſuperior cur potius dentibus caruerit 97
Mecœnas perenni febre laborauit 51
Medium denotat extrema, & extrema medium

medium 38
Monoceros Plinij 77
Mors gemina exiſtit 4
Mors corporea & incorporea quomodo cõtingat 13
Mors beata quomodo fiat ibi.
Mortuorum ungues ac pili cur accreſcere uideantur ſecundum Alexandrum. 61
Mortuorum ungues augeſcunt 60
Mortuorum pili adaugentur ibi.
Mortuorum ungiũ & pilorum accretionis opinio Plotini repudiatur à Mercuriali 61
Motio ſex habet 32
Moyſes cur cornutus 101
Moyſi facies tota rutilabat, nec bicornis erat 101
Mulieres & Eunuchi cur imberbes 94
Multicornia ad bicornia rediguntur. 92
Multicornia natura val arte comparantur 92
Mumia quomodo fiat 64
Mumia uel legitima eſt, vel ſpuria 64
Mumia pluribus opitulatur morbis cognatione naturæ 64
Mumiæ vſus quomodo ortus ibi.
Mundi anima quid eſſet ſecundum Chryſippum, Stratonem, & Senecam 41
Mundi anima humanarum ſortium mater dicitur, & Dea neceſſitatis, & quare 42
Mundi animam Iouem appellauit Plato Thales & Democritus 41
Mundi animam Plotinus Venerem vocauit, & primæ materię animam 41
Mundi homines quinam intelligantur. 73
Mundi partes ſecundum Iamblicũ cõglutinantur propter naturæ vnitatem. 41
Mundi animæ Vergilij opinio magis peripatetica eſt, quàm academica 42
Mundi animã à Deo non diſtinxit Ar. 41
Mundi animam Platonicorum alij à firmamenti anima diſtinxerunt, alij verò non 41
Mundi animæ variæ ſententiæ ibi.
Mundi animam à Deo ſeiunxit Plato. ib.
Mundi animam incorpoream omnes ſtatuerunt pręter Stoicos ibi.
Mundi animam tribus nominibus nuncupauit Verg. ibi.
Mundi animam Stoici corpoream exiſtimarunt ibi.
Mundus cur rotundus ſecundum Platonem 33
Mures Põtici ruminant & dentibus ſunt prẹditi 112

N

NAtura dirigitur ab intelligentia non errante 41
Natura eſt Dei ſimulacrum 8
Naturalia ſunt diuinitatis imagines 3
Naturalia corpora ſubſtantijs ſpiritualibus obtemperant ſecundum Theologos. 23
Necromantia reuocantur vmbrę ad cadauera 13
Necromantia viguit in Theſſalia ibi.
Nomenclationẽ penes, Platonis & Ariſto. conciliatio 21
Nomenclatoris munus quodnam ſit ibi.
Nomenclatoris labor vnde nam proueniat 20
Nomina ſunt naturalia ratione materię. 22.
Nomina varia quo pacto eidem rei indi poſſint 20
Nominàndi res difficultas eſt reſpectu nomenclatoris, non autem reſpectu nominum vſus 20
Nomine rudem cognitionem adipiſcimur 19
Nominis deſcriptio ſecundum Platonem. 21.
Nominis ac definitionis comparatio 19
Nominibus quandoq; vaticinari 20
Nominum ac rerum conſonantia ib.
Nox eſt contemplationis tempus & dies actionis 14
Nutrimenti impedimenta 53
Nutrimenti ad fauces regreſſus in ruminantibus eſt naturalis 52
Nutrimentorum qualitas difficiliùs agnoſcitur, quàm qualitas 50
Nutrimentum non eſt nutrimentum, niſi nutrire valeat 53
Nutrimentum nullum migrat totum in nutriti ſubſtantiam 64

O

OPpreſſi à dæmonibus cur varijs linguis loquantur 22

Oryx unicorne biſulcum 74
Orygis deſcriptio, & qui de ipſo ſcripſerint. 74.
Os domus hieroglyphicum 98
Oſſa cur vacua ſint 83
Oſſa digitorum an prorſus inania 83
Oſſa digitorum cur ſolida ibi.
Oſſa ſunt inania minimis quibuſdam exceptis ibi.

P

Palladis nomen à cornuum figura 57
Pan Solis ac Lunę ſymbolum 102
Pecunia antiqua boue vel oue ſignata. 118.
Pegaſi inueniuntur ſecundum Plinium. 99.
Penatum, Larium, & Geniorum diſtinctio. 9
Perſica Aegyptijs innocua 87
Perſica pernicioſa Perſis ibi.
Phaſianorum tranſmigratio ibi.
Plantę aliquę è parietibus alimenta hauriunt 88
Plantę nullę ex ſimplici aqua nutriuntur. 63.
Plantarum vltima ſenecta ab Ariſtotele dicitur ariditas 61
Plato pręter corpus terreſtre humanum dat & aereum 6
Platonicorum conciliatio circa dęmonum conſpectum 8
Pili mortuorum cur augeſcant ſecundum Plotinum 60
Pili mortuorum adaugentur 60
Piſces abſque mare fœcundi 2
Poëtę veteres cur Theologi nuncuparentur 3
Poëtarum autoritates, quibus oſtenditur paſtum in ruminantibus ad os remeare. 46
Prouidentię, fati, naturę, & prudentię proportio 42
Pueri cur habeant plurimum calidi innati. 52.
Pueris plurimùm ineſt calidi ſecundum ſubſtantiam 51

Q

Quęſtio quid nominis cęteras antecedit 23

R

Rectę fibrę interioris tunicę ruminantium gulę vtiles ſunt ad ingurgitandum & egurgitandum 33
Rhinoceros fortis uiri ſymbolum 77
Rhinoceros duo habet cornua 76
Rhinoceros quis, & eius conſideratio. ibi.
Rhinocerotis naſus, adagium ibi.
Reminiſcatur quomodo anima ſecundum Platonicos 14
Rhuma, rumis, rumus & rumen appellata fuit mamma 26
Rotunda figura pulcherrima 39
Rotunda figura eſt capaciſſima 38
Ructat ſolus homo 50
Ructus vel ſunt nidoroſi vel acidi 50
Rumen quodnam ſit 24
Rumina Dea pueris lactentibus pręſidebat 26
Rumina Dea vocata necnon fuit, Rumia, & Rhumilia 26
Ruminę Deę lac libabatur non vinum & cur 26
Ruminalis ſola ficus inter arbores dicitur. 26
Ruminales hoſtię 28
Ruminantia cur habeant quaſdam propagines in palato 115
Ruminantia maiori voluptate afficiuntur cum ruminant, quàm dum edunt 53
Ruminantia cur plurimum lactis generent. 108.
Ruminantia cur hyeme magis ruminent. ibidem.
Ruminantia plurima biſulca 72
Ruminantia cur ruminando magis oblectentur 53
Ruminantia pleraq; carent dentibus in ſuperiori maxilla 43
Ruminantia pabulum egurgitare diuiſiua methodo comprobatur 44
Ruminantia quo ſitu, tempore, & quęnam magis ruminent 108
Ruminantia perpauca ſunt, quę habeant obtuſos dentes in ſuperiori maxilla 43
Ruminantibus natura opem tulit duplici remedio 15
Ruminantibus gemino auxilio natura opem tulit 35
Ruminantibus magis vtilis ruminatio & qua-

quadripartitus venter, quàm dentes. 105.
Ruminantium diuiſio 55
Ruminantium coctio quomodo fiat. 40.
Ruminantium paſtionis mora in primo ventre vtilitas 47
Ruminantium primus venter eſt duriori tunica obductus 39
Ruminantium hiſtorię anacephalęoſis. 122.
Ruminare quid ſit 24
Ruminari quomodo metaphoricè capiatur. 25. 24.
Ruminatio quandoque latius, & quandoq; preſſius accipitur. 29
Ruminatio quid ſignificet in Sacris literis, & vngulę ſectio 72
Ruminatio boui magis conſentanea. 113.
Ruminatio eſt motio 32
Ruminatio quomodo metaphoricè ſumatur 24
Ruminatio cur inſtituta 35
Ruminationem cur Homerus ἀμοιβὴν appellauerit 45
Ruminationis etymologia 23
Ruminationis definitio 29
Ruminationis definitionis ab Aponenſi tradita cenſura 31
Ruminationis etymologię compendium. 28.
Ruminationis vſus 32
Ruminationis definitionis conſideratio. 30.
Ruminationis perfecta definitio 32
Ruminationis acceptio latior in Sacris literis. 106
Ruminus dictus fuit Iupiter, Alus, & Alumnus 27

S

Sapidiores cur ſint inſertorum fructus. 62.
Satyri an dentur 99
Satyrorum allegoria 99
Saxatilium piſcium ſpecies 112
Scari ſymbolum 110.111
Scari ſolertia 110
Scari duo genera ſunt 111
Scari omnia Ariſtotelis loca 109.110
Scarus plurimi factus apud priſcos. 111.
Scarus non habet dentes ſerratos & pectinatim coeuntes 109
Scarus ruminat ibid.
Scarus ruminat, & habet plureis ventres. 112.
Scarus inter ſaxatiles primus. 111
Scientia noſtra à ſenſibus originem ducit. 3
Scientię cur dicantur reminiſcentię à Platonicis 14
Senibus parum ineſt calidi ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum qualitatem. 51.
Senile corpus cur aridum & ſiccum. 52.
Senſuum imperiũ eſt vinculum animę cum corpore 13
Senum cutis antiquitate fuſca ſit. 67.
Serpentes ſuffiti cornu cerui nidore fugantur 90
Serpentes & cerui naturaliter hoſtes. 90.
Solipeda plurima vtrinque dentata. 72.
Sphera ſolidorum capaciſſima. 39
Stellę cur globoſę 39
Striges per aerem ferri ad Dianę ludos. 23.
Struma quid ſit 25
Struma quomodo Gręcè à ſuibus dicatur. 25.
Strumas curat Rex Galliarum 25
Strumas ſanat Rex Anglia 25

T

Temporis varia excogitatio 22
Tempus quomodo hieroglyphicè ſignificetur 23
Teſtes vniuerſo corpori caliditatem impartiunt 95

Tragelaphus differt à ceruo 92
Troiana lingua locutus eſt infans. 22.
Tubæ olim fiebant bubulo cornu. 56
Tybris Rumo & Serra vocatus. 28

V

Venarum inanitio quomodo fiat. 54.
Venti ab Vrſa, & Meridie maximè flant. 48.
Ventres ſuperiores rotundi vt plus cibi continerent. 39
Ventriculorum nomina ſecundum Philoponum 37
Ventriculorum trium inferiorum nomina. 37
Ventriculorum ruminantium nomenclatura 36
Ventriculorum caterua eſt ob dentium inopiam. ibid.
Ventriculorum magnitudo ac figura. 38.
Ventriculus vel nutritur vel oblectatur chilo 40
Ventrium ſuperiorum munus 39
Victus errores ad quantitatem & qualitatem rediguntur 50
Viuentia nutriuntur ex quibus conſtant. 63.
Viuentia haud ex ſimplici nutriuntur elemento ibid.
Vmbra ſepulcrorum quid ſint. 12
Vmbræ non ſunt animæ vinculum cum corpore 13
Vmbræ ſepulcrorum quid ſint ſecundum quoſdam 4
Vmbrarum opinionum conſonantia & diſſonantia 5
Vmbrarum Ammonij opinio. 6
Vmbras necnon animabus probis tribuerunt Homerus & Verg. 5
Vmbras ſecundum quoſdam dæmones eſſe 6
Vngues mortuorum augeſcunt. 60
Vngues & pili impropriè accreſcunt. 62.
Vngues & pili quandoque non augeſcunt. 63
Vnguium & pilorum abſciſionis vtilitas. ibidem.
Vnicorne latiùs ſumptum quodnam ſit. 78.
Vnicorne virgines veneratur 75
Vnicorne multifidum non agnouit Ariſtot. 76
Vnicornia propriè quadrupeda ſunt. 79.
Vnicornia multifida reperiuntur. 75
Vnicornia valentiùs feriunt 77
Vnicornia ſolipeda vel aſini, vel bouis, vel equi ſpeciem præ ſe ferunt. 73.
Vnicornia vel vngulam ſolidam, vel ſectam habent ibid.
Vnicornis alexipharmaci ambiguitas. 77.
Vnicornis aſinus qualis 73
Vnicornis opinio ſecundum quoſdam vana putatur. 78
Vnicornis bos qualis 73
Vnicornis Alberti deſcriptio 75
Vnicornis equus qualis 74
Vnicornium cornua ſuperbiam ſignificant. 77.
Vnicornium conciſa diuiſio 76
Vnicornium ſectio penes cornu ſitum. ibidem.
Vnicornium quorundam biſulcorum commemoratio 75
Vomat cur uix homo 32
Vrus de genere bouis, & eius hieroglyphicum 121
Vultur in altiſſimis montibus ſoboli incumbit 2
Vultur quomodo naturam ſignificat. 3.
Vultur cur anni ſymbolum apud Ægyptios 1
Vultur eſt rapaciſſima 14
Vultur cur hieroglyphicè peregrinum ſignificet. 2
Vulture materiam innuerunt Ægyptij. ibidem
Vultures quomodo concipiant 1
Vultures quæque fœminę ſunt. ibidem.

Vultures

*Vultures ex vento ineuntur.* ibidem.
*Vultures maiores fœcunditati ſunt inutiles.* 2
*Vultures in Germania fœcundæ quotannis.* ibid.
*Vultures ſunt fœcundę* 1
*Vulturis penna parturientes adiuuat.* ibidem.
*Vulturis duæ ſunt ſpecies.* 2
*Vulturis varia hieroglyphica* 15
*Vulturis rapacitate philoſophi ſtudium ſignificatur* 14
*Vulturis nidus rarò viſus, & cur rarò conſpiciatur.* 2
*Vulturis uelociſſimo volatu quid hieroglyphicè ſignificetur.* 4

Indicis rerum præcipuarum, quæ in Naturali de Ruminantibus Hiſtoria includuntur, Finis.

ELEN-

# ELENCHVS SYNTAGMATVM, NATVRALIS *DE RVMINANTIBVS HISTORIÆ.*

DE Ruminationis etymologia, ac definitione. Syntag. I.
Ruminantia ad fauces pabulum egurgitare. Syntag. II.
De Cornibus. Syntag. III.
De Ruminantibus vnicornibus. Synt. IIII.
De Ruminantibus bicornibus. Synt. V.
De cornuum, ac dentium viduitate. Synt. VI.
De Ruminantibus cornuum expertibus. Synt. VII.
Ruminationem boui magis, quàm cæteris Ruminantibus congruere. Synt. VIII.

# NATVRALIS DE RVMINANTIBVS HISTORIÆ,

## PROGYMNASMATA.

AEGYPTII illi ſacerdotes naturam cunctorum inconſtantium vberrimum fontem, phyſiologumq; hieroglyphico artificio aptè ſimul Vulturis ſimulacro exprompſerunt. Siquidem Vultures quæque fœminæ exiſtunt: veruntamen earum vulua (quod mirum videtur) in Aquilonem, vti arbitrati ſunt Aegyptij: in Eurum verò, veluti Plutarchus cenſuit, exporrecta patenteq; concipiunt, & fœcundiſſimæ fiunt. Diebus nanque (vt aiunt) quinque intercalaribus ſumma cibi ac potus abſtinentia, pertinaciſſimoq; ieiunio maceratæ Vultures ex vento ineuntur: protinus centum & viginti dies fœtæ permanent, atque mox totidem diebus proprios educant pullos: reliquos autem centum & viginti dies, qui ad annum explendum ſuperſunt, propagationi nequaquam intentæ, ſuarum tantummodo ſatagunt rerum: quamobrem anni quoque Vulturem ſymbolum eſſe ſtatuerunt Aegyptij. Vultur vſqueadeò fœcunditate viget, vt parturientes mulieres adiuuet, eius penna illarum pedibus ſubſtrata. Nec Vultures tantùm ex ſpirante aura grauidæ fiunt, quinetiam quibuſdam in locis equæ, vt Auguſtinus Probuſq; prodiderunt. Inde ſuſpicari quiſpiam poterit velociſſimos iugales ab Homero deſcriptos haudquaquã fabuloſos eſ-

Prima Vulturis proprietas.

Animalia abſq; mare fœcunda.

*ſe. Amplius Ariſt. poſteritati propagauit, lib. v. de Hiſtoria, non deeſſe* Cap. 1.
*piſces, qui mare vidui, ſolo fœminæ ſexu concipiant; ac ſæpius de rubris ſiue rubellionibus, atque hiatulis, necnon quandoque de paſſeribus piſcibus anceps fuit, fœminæ necne omnes exiſtant: cùm horum piſcium ſinguli ouis referti deprehendãtur. Apes item ſine coitu generare arbitratus eſt idem Ariſt. lib.* III. *de Generat. animal.* Cap. 10.
*Etenim in imum hoc naturæ gremium eiuſmodi conſperſit ſemina ſublimis & glorioſus Deus, vt hæ noſtræ infirmæ mentes ſaluberrimo incarnati Verbi myſterio aſſentirentur, & humana ſapientia promptius acquieſceret. Quare Baſilius, Auguſtinus, & Adamantius acriter in impios indignantur, vtpote qui ſine vlla maris coniugatione, ſoloq; naturæ ipſius miniſterio Vultures prægnantes euadere gratis admittant: attamen ſanctiſſimam Virginem, diuino afflatam Numine, inuiolatis atq; incorruptis virginitatis clauſtris peperiſſe nefariè inficientur. Qua quidem Vulturis proprietate naturalium rerum materiam innuerunt Aegyptij, quam itidem Ariſt. in ſuis de Natura lib. fœminæ idcirco nonnunquam comparauit.* Lib. 1. Phy. tex. 82.

Secunda vulturis ꝓprietas.

*Vultur autem in ſolitudinibus atque excelſiſſimis ſublimiorum montium appendicibus nidum ædificat, & ſoboli incumbit: ac proinde Herodotus Bryſſonis rhetoris pater, Vultures ab alio eminentiori, nobiſq; ignoto mundo, ad hunc noſtrum, cuius incolæ ſumus, aduolare exiſtimauit, cùm nullus unquàm Vulturis nidum compererit: in illorum nanque ſententiam ire viſus eſt, qui plureis introduxerunt mundos. Hinc hieroglyphicè etiam per Vulturem, peregrinum atptè ſignificari tradiderunt. Vel per eminentiorem mundum, plagam terræ Borealem indicauit Herodotus. Quippe Ariſt. lib.* II. *Meteorol. chartis prompſit, regiones ad Vrſam ſitas, ſublimiores eſſe: quod tum ex marium fluxu ſtabiliuit, tum verò ex ſæpius antiquorum Meteorologicorum autoritate confirmata, qui Solem haud ſub terram peruagari perſuaſi ſunt, ſed circa terræ tantùm hemiſphærium: noctęſcereq; ob Septentrionalis partis eminentiam.* Cap. 1.
*Nihilominus lib.* VI. *de Hiſtoria apud* Cap. 5.
*Ariſtotelem legitur, Vulturis nidum, licèt raró, quandoque tamen compertum: cuius raritatis rationem reddidit ipſe lib.* IX. *eiuſdem operis, affir*- Cap. 11.
*mans eam inacceſſis rupibus parere. Atqui ab eiuſmodi calumnia vtiq; vindicari poterit Herodotus. Quandoquidem Ariſt. in* VIII. *de Hiſtoria,* Cap. 3.
*duas Vulturis recenſet ſpecies, maiorem ſcilicet, atq; minorem. Et libello de Admir. audit. literis conſignauit, neminem unquam maioris Vulturis* Hiſt. 59.
*nidum, cuius fortaſſe meminerat Herodotus, conſpexiſſe. Inde perſuaſus Ariſt. maiores Vultures fœcunditati inutiles ibidem iudicauit: cuius ſententiæ ſubſcripſit Plinius lib.* x. *At Albertus lib.* XXIII. *de Animal. in*- Cap. 8.
*quit, Vultures quotannis in Germania nidos conſtruere in montibus illis,* In calce.
*qui inter ciuitatem Vuangiorum, quæ nunc Vuormatia uocatur, & Treuerim*

uerim

uerim interiecti ſunt: quo in loco Plinium item carpit Albertus, perinde ac Vulturum nidos vnquam apparuiſſe negaßet: falsò tamen illum peruellit, cum lib. nuper citato, in excelſiſſimis rupibus Vultures nidificare conſtanter aſſeueret. Vellicat itidem Albertus illos, qui Vulturum ſterilitatem aſtruerunt: forſitan ipſarum Vulturis ſpecierum varietatem non animaduertens. Alberti opinionem videtur inſecutus Cælius Rhodiginus lib. V. Lectionum antiquarum. Aegyptij itaque (vt ad inſtitutum reuertamur) Vulturis imagine naturam circunſcripſerunt, vt eius arcana in tenebris iacere retruſa abditaq; ſignificarent: obliquas aſperasq; eſſe ſemitas demonſtrarent, quæ nos ad rerum naturalium intelligentiam introducant: atq; naturam ſummopere oblectari, nos potiùs attentè eius conſilia admirari, quàm percipere. Hinc vetuſtiſſimi illi poëtæ, qui cùm res diuinas canerent, apud priſcos theologorum nomen ſibi vendicarunt, noctem rerum cunctarum parentem eſſe modulati ſunt, quaſi caligines ac tenebræ ſint prima exordia rerum. Democritus quoque veritatem ipſam in profundiſſimo puteo latitare teſtatus eſt, ex quo ſanè ſummis ærumnis haurienda, & laborioſo hamo expiſcanda ſit. Quippe Mercurius ille ter maximus omnem naturam, excelſi Dei ſimulacrum eſſe in Pimandro promulgauit: at ſibi ipſi ſolùm Deus eſt notus. Vnde legitur in Pſalmis, quòd Deus ſuper ventorum pennas ambulauit, hoc eſt, ſupra angelorum hierarchias. Angeli enim ob ſpiritualem eorum naturam, venti nuncupantur: & hierarchiæ ob celſitatem pennæ appellantur. Quamobrem Aegyptij Eneph, quem pro Deo colebant, cærulea veſte indutum, zonamq; tenentem ac ſceptrum pingebant, in cuius diademate pennam effingebant, vt Euſebius lib. de Præpar. Euang. ſcripſit. Opera tamen ipſius naturæ, vtpote ſenſibus propinquiora, à quibus vniuerſæ noſtræ cognitionis origo, vel petenda eſt, vti cenſuit Ariſt. vel ſaltem excitanda, veluti Plato exiſtimauit, minùs profectò ſunt deliteſcentia: in quibus ſingulis cùm quædam Diuinitatis ſcintillæ rutilent, Proclus in Alcibiadem primum exarauit, animas noſtras hic circa imagines peruagari: & in opuſculo de Sacrificio & Magia, ſapientes aßeruit, quos vocat ſacerdotes, in infimis ſuprema, & in ſupremis infima agnoſcere: cui minimè aduerſatur Paulus ad Romanos, vbi inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intelligi voluit. Verumenimuero eiuſmodi naturæ ſpeculum nimis turbidum eſt, atque hæc Diuinitatis veſtigia nimis caliginoſa ſunt. Quapropter idem Paulus in 1. ad Corint. teſtatum reliquit, nos dum hanc paluſtrem vitam viuimus, Deum per ſpeculum in ænigmate agnoſcere. Attamen huiuſmodi diuinæ Bonitatis ſcintillæ, quibus naturæ opera decorantur, haud æquè ſcintillant: ſed quædam clariores, quædam verò obſcuriores exiſtunt, ſicuti Ariſt. lib. 1. de Cœlo, memoriæ tradidit. Quocirca Dantes

[Margin notes, left: Cap. 6. — Cap. 18. — Dialog. 1 — Pſal. 17. — Cap. 1. — Cap. 13. — tex. 100.]

[Margin notes, right: Rerum intelligentiæ difficultas. — Naturalis Dei agnoſcendi modus.]

*Aligerius tertiam ſuæ Comędiæ canticam, hoc pacto auſpicatus eſt.*

La gloria di colui, che tutto muoue,
Per l'vniuerſo penetra, & riſplende,
In vna parte più, & meno altroue.

*Sed ne oratio noſtra, tanquam anguſta & imbecilla ratis in hoc altiſſimo pelago diutius euehatur, contrahenda ſunt uela, Properemus igitur ad illas Vulturis proprietates, quæ nobis, qualiſnam debeat eſſe naturæ ſcrutator, enucleare poterunt. Vultur è terra infimo ac fęculento elemento recedens, atque in puriorem & ſublimiorem regionem ſeſe attollens ocyſſimè volat: oriente nanque Sole occaſum verſus aſpiciendo, decedente verò ad orientem, cadauera longiſſimis interuallis diſtincta diſcernit, ad quæ quaſi ſagitta ad ſcopum incomparabili pernicitate fertur. Quo ſanè velociſſimo Vulturis volatu, ſpeculatorem debere omni conatu, velis remiſq; animum à ſenſibus reuocare manifeſtatur, vt quandoque cœleſtia ſcandat, ne in hoc imo mundi antro ſemper diuerſetur: quod quidem à Platone ſæpe ac ſæpius in Phædone inculcatum fuit, cuius verba à Cleombroto haud ſatis rectè percepta, mœnibus ex altis infauſtè ſe præcipitem dedit: & vitalia lumina linquens, mortem obijt longè diuerſam ab ea, quam nonnunquam philoſophi, vt fœliciùs viuant, iucunde experiuntur. Siquidem gemina mors, vt ait Plato, exiſtit: altera nimirum animi, altera verò corporis: quemadmodum etiam duplex eſt vinculum, alterum, quo corpus cum animo connectitur: & alterum ex aduerſo, quo animus ipſe cum corpore conglutinatur: illud eſt corporis diſpoſitio, vt opportunum euadat animi diuerſorium, atque accommodatum apparetur illius hoſpitium. D. Thomas tamen tum in prima parte Summæ, quæſtione* LXXVI. *tum lib.* II. *contra Gentes, haſce diſpoſitiones ante intellectiuam animam in corpore, præexiſtere negauit: cùm ipſa homini det eſſe abſolutum & perfectum, illa verò aduentitia ſint. Vinculum autem animi erga corpus, immane exiſtit inferioris appetitus imperium, crudeliſſimus affectuum dominatus, ac ſenſuum tyrannis, vel potiùs oligarchia. Inde Dauid eiuſmodi vinculum concinnè atque eleganter pauimentum uocauit, dum concinuit.* Adhæſit pauimento anima mea. *Opinati verò ſunt quidam, inter quos recēſendus uidetur Plato in Phædone, vinculum iſtud, corpus quoddam eſſe aerium, poſt humanam hanc vitam animis ſceleratis ac flagitioſis infixum, quo ipſi utentes circa ſepulcra uagentur: inquiuntq; eſſe vmbras illas, quæ in ſarcophagis apparent, & ſpectra illa, quæ circa tumulos conſpiciuntur: quod quidem corpus per ſingulas ipſius partes vaporibus quibuſdam ſpongiæ modo imbui, quibus enutriatur: & ſingulis quoque partibus videre, audire, cæteroſq; ſenſus exercere autumant, vti etiam animalia quæque ſenſus tactus operationes per vniuerſum corpus obeunt:*

Tertia vulturis proprietas.

Gemina mors.

Art. 6. cap. 71.

De hoc Philoponus in procœmio libr. de Anima, & ſuper tex. 19. li. 2.

Pſ. 118.

Legendus Plato in Phędone.

*obeunt: quorum ſanè opinionem aliqua ſaltem ex parte inſecutus Verg. lib.IIII. Aeneid. ſic cecinit.*

Et cùm frigida mors anima ſeduxerit artus:
Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.
Audiam: & hęc manes veniet mihi fama ſub imos.

*It alibi in eodem lib.*

Dixit & os impreſſa toro, moriemur inultæ?
Sed moriamur ait: ſic ſic iuuat ire ſub vmbras.

*Et lib. XI. & in calce XII.*

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

*Aiuntq́; hoc corpus cum aereum ſit, ſi rarius fiat, euaneſcere: ſin autem craſſius, cerni, atque in varias, vtpote informe, pro varia animorum imaginatione effingi figuras: humanam tamen effigiem plerunque præ ſe ferre dicunt. Etenim ſicut aqua in vaſe quopiam frigore concreta, vaſis figuram recipit: ita quoque eiuſmodi corpus aerium cum flagitioſis criminibus, contractis in organico corpore vaporibus quodammodo conglaciet, humana in eo figura nullo negocio imprimitur. Alij attamen iſtud necnon probis viris contingere arbitrati ſunt: quod Homeri ſanè, ac Vergilij teſtimonijs corroborari poterit. Quandoquidem Homerus lib. XXIII. Iliados, Patrocli vmbram humana effigie inſculptam, Achillemq́; colloquentes cecinit: & à Vergilio lib. II. Aeneid. fit mentio vmbræ Creuſæ, quæ Aeneę euentura prænunciat. Inſuper lib. V. Aeneid. de Anchiſis manibus commemorans, circa ipſius tumulum commorantibus, ita eſt modulatus.*

Salue ſancte Parens, iterum ſaluete recepti
Ne quicquam cineres, animæque vmbræque paternæ.

*Fertur item Homerum Achillis vmbra afflatum, poëtico furore percitum fuiſſe: atque Vliſsem apud Cimmerios in turbido & caliginoſo aere cum vmbris libaſſe legitur. Tragici inſuper poëtæ virorum mulierumq́; virtutibus conſpicuorum vmbras quandoque in ſcenas introduxerunt, ſpeciem humanam præferentes. Haſce hominum animas à craſſo corpore ſolutas, aereoq́; inuolutas aliquandiu in aere degentes, Platonici peregrinos & aduenas dæmones nuncuparunt: quorum quidem nonnulli eas Laruarum, Lemurum, ac conſimilium muneribus fungi arbitrati ſunt. Cæterùm quamuis recitatæ de vmbris opiniones inuicem concordent, in humanarum ſcilicet animarum cum aereo corpore nexu: attamen etiam inter ſe aliquo pacto diſcordant. Prima etenim opinio iſtud improbis tantùm & ſceleribus contaminatis hominibus tribui ſentit, vt debitas patratorum ſcelerum pœnas luant: quas vmbras, triſtes nuncupare conſueuit Maro. Poëtæ verò probis improbiſq́; hoc contingere cecinerunt: vnico tantùm excepto Heſiodo, qui hoc ſolùm ſanctitate inſignibus concedi exiſtimauit. Poëtarum* De Heſiodi opinione Plato i Cratylo.

*meber.*

*mehercule opinioni adhærent quicunque ex puris & integris animabus Lares dæmones, ex impuris & nefarijs Laruas, ex fluctuantibus verò inter probitatem ac vitium, Manes procreari exiſtimarunt. Capitalem eiuſmodi hæreſim cùm amplecterentur haruſpices, infantes innoxios truculentiſſimè enecabant, vt innocentes eorum animas ſuorum myſteriorũ coadiutrices adhiberent. Poëtarum item de vmbris opinioni haud refragari uiſus eſt Ammonius in ſua præfatione in Porphyrij Inſtitutiones, vbi ait, vmbratiles animorum ſpecies in ſepulchris obuerſari, quia poſt interitum adhuc animæ ſuorum corporum amore flagrent. Iulius Camillus in Theatro, tres ſtatuit in homine animas, ijs nominibus appellatas, Naphes, Ruach, & Neſſamach: ſenſitiua ſcilicet, rationalis, & ſublimior anima à Platone mens, & ab Ariſtotele intellectus agens nuncupata: aitq; ſecundum opinionem ſcriptoris Zoar, Nephes eſſe ſimulacrum quoddam, aut vmbram, quæ nunquam à ſepulchris recedat: hancque non ſolùm noctu apparere, ſed & interdiu: contigiſſeq; refert cuidam familiari ipſius Zoar, in ſolitudine pœnitentiam agenti, vt Nephes ei abſciſſa conſpiceretur, capitiq; à tergo vmbram imprimeret: & inquit coniectaſſe Zoar hoc fuiſſe imminentis mortis indicium. Verùm meras haſce nugas ſocordibus credendas relinquamus. Plato inſuper præter hoc noſtrum corpus terreſtre ac craſſum, aliud dari tenue & aereum exiſtimauit. Inde Themiſtius lib. 1. de Anima affirmauit, quòd ſi nulla ſit propria animæ operatio, aut affectio, poſt obitum animam vel torpere, vel in muneribus ſuis obeundis, tenui illo & latentiori à Platone excogitato corpore vti. Autor lib. de Hiſtoria Philoſophica, Taletem inquit, Pythagoram, Platonem, & Stoicos vnanimes aſſeueraſſe, Heroas animas eſſe à corpore ſegregatas. Et Auguſtinus lib.* VII. *de Ciuitate Dei, priſcorum ſententias referens, eos opinatos eſſe ait, inter Lunæ gyrum & nymborum ac ventorum cacumina, aereas degere animas, neutiquam corporeis oculis, ſed animo manifeſtas: eaſq; Heroas, Lares, & Genios nominari. Libro item x. eiuſdem operis ſcriptis mandauit, veteres opinatos eſſe in ipſo aere Heroas cum dæmonibus habitare, quo ſanè nomine puræ animæ vocarentur. Vnde Heroëm ſic definiebat Lucianus in* III. *Dialogo mort. inquiens, quòd Heros eſt, qui neque homo neque Deus exiſtit, ſimul autem uterque eſt. Alij uerò umbras impoſtores dæmones eſſe ſuſpicati ſunt, qui ſpirituale ipſorum corpus ad libitum nullo negocio in uarias inflectent figuras. Quæ quidem opinio plurimorum ſapientum doctrinis conſentanea uidetur. Etenim cunctæ ferè philoſophantium ſectæ, dæmones conſtituerunt, ut media interiaceret natura inter diuinam Deorum, & hominum mortalem, ne mancus mundus uideretur, qui tantam ſapit perfectionem: quam dæmonum naturam Deorum miniſtram ac interpretem, hominum uerò cuſtodem ſtatuerunt: ut huius miniſterio humanæ animæ in propria*

Gorgones. Cap. 3.

Quid ſit Heros.

De dæmonibus penes Philoſophos.

*pria migrarent corpora, reuelatione multa intelligerent, auxilio expiarentur, atque ad ſublimiora attollerentur. Xenocrates profectò ſatis concinnè triplicem eiuſmodi naturam, trianguli exemplo explicabat: cùm diuinam naturam æquilatero, mortalem omnibus inæqualibus lateribus contento, & dæmoniacam duo latera æqualia habenti compararet. Nec deſunt ſanè naturalia huiuſce triplicis naturæ ſimulacra: Sol enim & aſtra naturam diuinam referunt: fulgores atque cometæ (vt alludebat Euripides) mortalem: Luna autem, quam nonnulli terreum aſtrum, alij uerò cœleſtem terram nuncuparunt, dæmoniacam præ ſe fert. Inſuper dæmones à philoſophis introducti fuerunt, ne maximum iſtud interſtitium, inter Lunæ orbem & aquam comprehenſum, ſuis eſſet uiuentibus deſtitutum: præſertim cùm terra & aqua uiliora elementa pluribus ſcateant animantibus. Dæmones itaque cùm ſint aeris habitatores, atque hic in tres diſtribuatur regiones, in ſupremam nimirum, quam ob ſui puritatem æthera uocauit Plato in Timæo: in infimam, quæ ob uaporum redundantiam aquea dicitur: & in mediam, quæ inter utranque interiacet: totidem quoque in Epinomidæ dæmonum claſſes conſtituit Plato. Unde ex ipſius ſententia dæmones exiſtunt ętherei, aerei, & aquei. Sed enim circa æthera commonefaciendum eſt, eum uariè Maronem accepiſſe: quippe qui aliquando pro media aeris regione ſumpſerit. Hinc lib. V. Aeneid. legitur.*

De hoc Plutarchus lib. de Oraculorum defectu.

Dæmonum genera.

Varia ætheris acceptio apud Verg.

Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nimbi.

*Quandoque verò pro humiliori aeris parte. Inde eodem lib. V. Aeneid. modulatus eſt.*

Reſonat clangoribus æther.

*Nonnunquam autem pro ambabus ijſce regionibus ab imbribus infeſtatis: ibidem enim ſic cecinit.*

Ruit æthere toto
Turbidus imber aqua.

*Pro vniuerſo inſuper aere ęthera ſumpſit Verg. lib. II. Aeneid.*

Toto ſonuerunt æthere nimbi.

*Per ęthera necnon ſupremam tantùm aeris partem ſignificauit poëta Latinus, qui lib. I. Aeneid. Aeneam ita loquentem introduxit.*

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus.

*Quemadmodum verò omnes licet dęmones ſecundum Platonem ſint aeris incolæ, diuerſi tamen in diuerſis illius habitãt partibus: ita etiã quamuis ſinguli aereo corpore, tanquam vehiculo vtantur, alij tamen purius, & alij impurius corpus ſortiti ſunt. Aetherei enim tenuius, aquei craſſius, & mediocre aerei obtinent corpus. Aetherei, quia purioris naturæ exiſtunt, puriori induuntur corpore: aquei, quia impurioris naturæ, impuriori vtuntur*

tur

*tur corpore: atque aerei, quia mediocris naturæ, mediocri itidem corpore ſunt donati. Quamobrem cùm dæmonum corpus, noſtri corporis ſpiritibus reſpondeat, commonefaciunt quidam Platonici, vt delicatioribus cibis veſcamur, atque in fœliciori cœli ſtatu diuerſemur, quò excellentiores dęmones nos, noſtraq; curent: cuilibet enim proprium dæmonem prǫeſſe autumarunt. Inde Plutarchus librum de Socratis genio conſcripſit. Quoniam verò inferioris gradus dæmones, aquei ſcilicet, amplas perluſtrant terrę cauernas, & per cæca quandoque ſpatiantur antra, accidit, vt ſubterraneorum quandoque nomen ſibi vēdicauerint; atque æthereorum nonnulli cùm puriores ſint, ignei appellati fuerint. Dæmonum igitur corpus aereum quidem eſt, puritatis tamen maioris minoriſq; ratione, quinque eorum conſtituuntur phalanges: ac proinde puriores dæmones, ignei nuncupantur: impuriores terrei; intermedij autem ætherei, aerei, & aquei: pro eorum naturę dignitate, corporis excellentia, atque ſublimioris hoſpitij ſitu. Vnum itaque, tria, ac quinque ſecundum Platonicos exiſtunt dæmonum genera. Vnum quidem, quia dęmones cuncti aerei ſint: tria autem ob tres aeris regiones: & quinque penes varios puritatis illorum gradus: in quibus deinſingulis varij adhuc excogitari poterunt ordines, cùm alij alijs dignitate præſtent. Non defuerunt tamen, qui dęmones non corpora ſolùm habere aerea exiſtimauerint: ſed & reapſa ignea, aquea, atque terreſtria.*

An cernantur dæmones.

*Dęmones porrò, quò nobiliores ſunt, eò obſcuriùs conſpiciuntur: & quò ignobiliores, eò clariùs cernuntur: quia illi ſubtiliori, & hi craſſiore vtantur corpore. Aer namque niſi maximè condenſatus conſpici nequit. Veruntamen Ficinus in Plotini librum de Pulchro, dęmones à nobis uideri poſſe arbitratus eſt: quippe prępotenti quapiam vi mouendi, viſuales oculorum noſtrorum radios ad nos repellant, vel ſe ipſis terminent: inſuper nos poſſe dęmones, haud extimo hoc corporeo viſu, ſed intimo ac incorporeo intueri autumat: ſi quando ad hunc ipſum vndiq; noſmetipſos collegerimus. At in librum Plotini de Amore, inquit, quandoque aqueos dęmones paulò denſiores factos aſpici, atque terreſtres paulò vlteriùs condenſatos attrectari etiam poſſe. Aliena porrò corpora nonnunquam craſſiora dęmones capiunt, propria interim haud deſerentes, quibus cùm prędominentur in varias, Protei more, mutant formas: ſicque colore ac luce circunfuſos nobis ſeſe obijci, & apparere dixerunt. Quocirca veram eſſe Porphyrij opinionem iuxta academicorum decreta compertum eſt, qui dęmones inuiſibiles prorſus eſſe opinatus eſt: tum Iamblici, qui eos identidem à nobis cerni cenſuit: atque etiam Platonis, qui neque omnino viſibiles, neque inuiſibiles ſtatuit. Quandoquidem Plato in Epinomide aſſeruit, nec ęthereos, nec aereos propè nos exiſtentes manifeſtè videri poſſe: aqueos verò nonnunquam aſpectu percipi. Etenim ibi quinque animalium*

genera

*genera eſſe determinauit, ſummos ſcilicet incorporeos & vltramundanos Deos: dein cœleſtia animalia, aſtra nempe, pulcherrimo corpore, beatiſſimaq; anima & optima conſtantia: ac preterea tres recenſitas dæmonum phalanges, ethereos nempe, aereos, & aqueos. Aqueos dæmones Semideos vocauit Plato, quos nonnunquam aſpectu ſentiri, nonnunquam verò aſpectui noſtro ſubtrahi affirmauit: qui quidem percepti, tenui viſu deprehenduntur, admirationemq; ingerunt, ut ipſe teſtatus fuit. In Cratylo item Semideos appellauit Heroas, quos vtique, vel ex Deorum amore erga humanas mulieres, vel amore virorum erga Deas, genitos aſſeuerauit: inde eos nuncupatos fuiſſe aiebat, ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, ideſt ab amore. Quod verò à Platone circa Heroum generationem aſſeueratum fuit, ab Homero antea in Veneris hymno iis ce verſibus promulgatum fuerat.* De Herou generatione

Ὥς ῥα θεοὺς συνέμιξε καταθνητῇσι γυναιξὶ,
Καί τε καταθνητοὺς υἱεῖς τέκεν ἀθανάτοισιν.
Ὥστε θεὰς ἀνέμιξε καταθνητοῖς ἀνθρώποις.

*Quare cùm duo Heroum genera conſtituerit Plato in Hippia maiori, alterum nempe ab ipſis Diis propagatum, alterum verò ab hominibus: Heroes Deorum filij, Semideorum nomine dignantur: nequaquam tamen Heroes illi, qui tantummodo hominum filij extiterunt. Proinde Labeo inſignis apud Gentiles Theologus, Semideos Heroibus antepoſuit, vtroſque attamen inter numina collocauit. Fernellius Ambianus lib. 1. de Abditis rerum cauſis prodidit, Heroas Græcis dictos, veteres Latinos Lemures dicere conſueuiſſe. Inſuper commonendum eſt, dæmones à Platone promiſcuè nominatos, à Latinis ex officiis fuiſſe diſtinctos. Qui enim vrbibus & regionibus adminiſtrandis præſunt, Dij patrij atque Penates nuncupantur: qui priuatorum domibus præpoſiti ſunt, Lares, hoc eſt Dij domeſtici appellantur: qui verò ſingulis hominibus cuſtodes addicti ſunt, Genij vocitantur. Quandoque tamen à Latinis confunduntur, & pro iiſdem capiuntur, Penates, Lares, & Genij. Dæmones ergo ſublimiores (vt ad inſtitutum redeamus) inuiſibiles ſunt, infimiores quandoque viſibiles, & alieno craſſiore corpore vtentes, omnino viſibiles: quod quidem corpus ex coacto aere concretum atq; coagmentatum ſi rareſiat, attenueturq;, protinus euaneſcit. Proinde Verg. lib. IX. Aeneid. ſic cecinit.*

Cap. 11.

Penatũ Larium & Geniorum diſtinctio.

Sic orſus Apollo,
Mortales medio aſpectus ſermone reliquit:
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

*Et lib. IIII. cecinerat.*

Tali Cyllenius ore locutus,
Mortales viſus medio ſermone reliquit:
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

B Dæmones

Dæmones artefactis corporibus vti.

*Dæmones haud ſola corpora incolunt naturalia, quinetiam in artefactis nonnunquam diuerſantur. Siquidem Aegyptij, Iamblicus, & pleriq; alij affirmarunt, ex certis quibuſdam corporibus, peculiari cuipiam dæmonum naturæ reſpondentibus, ſub debito cœli ſtatu, ſtatuas conflari, ad quas dæmones aduentarent, & interrogati reſponderent. Quorum ſanè conſceleratum & nefarium ritum ter maximus Mercurius acriter increpabat, vtpote qui ſtatuas dæmonum domicilia conſtruerent: quaſi vel numina eſſe ſupra cœlum, vel pia hominum vota ad cœleſtia ſcandere diffidentes: quippe dæmones quandoque ſalutares, ſæpius attamen ſimulacra ingredi infeſtiſſimos ipſe aſſereret. Inde ſatis compertum eſſe videtur, falſum eſſe, quod à Fernellio Ambiano, tanquam ratum ſcribitur lib. 1. de Abditis rerum cauſis, Platonis ſcilicet ætate malos dæmones nondum innotuiſſe: atque dæmonum ſectionem in malignos & bonos à Platonicis iunioribus fuiſſe excogitatam, clarè quidem à Proclo, ſed apertiùs à Iamblico. Atqui verum eſt profectò Platonem eiuſmodi dæmonum diſtinctionem non adhibuiſſe, bonoſq; cunctos iudicaſſe: falſum verò non eius tempora anteceſſiſſe talem dæmonum diſtributionem, cùm à Triſmegiſto iam antea promulgata fuiſſet. Quidam ſuſpicati ſunt, caput illud ab Alberto, (vt fertur) conflatum, eiuſmodi veneficis ritibus fuiſſe compactum: arbitrandum tamen potiùs nec cerimoniali magia, nec cœleſti, quinimmo naturali à Theologo & catholico viro fuiſſe coagmentatum. Cùm hactenus ex philoſophorum ſententia de dæmonum corporibus diſputatum fuerit, nunc de iiſdem ſecundum noſtræ religionis Theologos paululum diſſeramus. Theologorum alij angelos prorſus incorporeos eſſe exiſtimarunt, alij verò corporeos: incorporeos pleriq; ſtatuerunt, corporeos nonnulli. Inter Græcos enim Baſilius, & inter Latinos Auguſtinus, angelis aerea quædam ac ſpiritualia corpora aſcripſerunt. Iudicatur tamen Auguſtinum nequaquam ex propria locutum fuiſſe ſententia, ſed ex hypotheſi, & iuxta Platonicorum ſententiam. Nihilominus in hoc omnes cõcordant Theologi, quòd angeli aliquando aliena corpora ſumant, quibus adhæreant, non vti materię naturales formæ inſertę ſunt, cùm ipſi perſonę ſint, nec compoſiti partes fieri queant: ſed illis potiùs aſſiſtant, vt nauigio nauta. Corporibus autem vtuntur angeli ad diuerſa miniſteria miniſtranda, bona, malaue: bona quidem ſi angeli (vt aiunt) lucis extiterint, mala verò ſi tenebrarum: hiq; dęmones propriè à Theologis nuncupantur, ſpiritus nempe cœlo exterminati, & ad imas haſce aeris partes, vel ad tartara relegati. Angeli lucis corporibus animatis, vel inanimatis vtuntur: plerunq; tamen inanimatis, eiſq; aereis: non terrenis quidem, vel aqueis, quia nequaquam citò euaneſcerent: non igneis etiam, quia contacta comburerent. Et quamuis ex Platonicorum decretis ſancitum fuerit, dęmones dari igneos: diximus tamen eiuſmodi nomen*

Cap. 11.

De angelorũ corporibus penes Theologos Chriſtianos.

Obiectionis enaſio.

eos

eos ſibi corporis ob puritatem aſciuiſſe. Angeli verò aereum corpus aſſumptum in humanam effigiem effingunt, ut ipſi futuram in fœlici patria ſocietatem hominibus prenuntient. Proinde Marci. XVI. legitur, quòd ſanctę illæ mulieres ſacrum pleno gradu monumentum ingreſſæ, iuuenem candidis veſtibus indutum à dextris ſedentem conſpexerunt: erat autem angelus Domini, qui ſedebat ſupra monumenti lapidem. Conſimile aereum corpus ſuſpicati ſunt diſcipuli, nondum fidei ſubſtantia & argumento penitus ſtabiliti, totius terrarum orbis Saluatorem obtinuiſſe, cùm poſt eius reſurrectionem, in illorum corona ſteterit, Lucę. XXIIII. Et dum circa quartam noctis vigiliam ſupra mare ambularet: putarunt enim illius corpus tunc phantaſma eße, Marci. VI. Quandoque item angeli lucis animata corpora ſibi adhibent: litteris nanque mandatum fuit, Numeri XXII. quòd Dominus aperuit os aſinę Balaam, & locuta eſt. Etenim communis gloſſa ibi inquit, quòd verba rationabilia non intelliguntur, vel formantur niſi ab habente intellectum: quamobrem verba illa angeli ope linguam aſinę commouentis prolata fuiſſe atteſtatur. Et hæc pauca de beatis angelis quaſi per tranſennam dicta ſint. Sceleratos dęmones iam aggrediamur. Impij & nefarij dæmones, iuxta nonnullorum ſententiam, in memorabili eorum rebellione, infauſtaq; & horribili ſtrage deformium corporum & teterrimorum formæ euaſerunt, vt inanem illorum ſuperbiam conculcaret Deus. Porrò corpora, quæ vſurpant dæmones, vel ab arte, vel à natura conflata ſunt: ab arte quidem, veluti erant ſtatuæ illæ in Gentilium oraculis vaticinantes, conſulentibuſq; reſponſa præbentes, quæ cunctæ in ſaluberrimo Saluatoris noſtri aduentu repente conticuerunt, obmutuerunt, & corruerunt. Commonefaciunt tamen Theologi, quòd dæmones vllis carminibus veneficijsve ad reſponſa homunculis danda minimè cogi poſſint: artemq; cohercendi dæmones in imaginibus & phialis, de qua locutus eſt Hermes, vanam prorſus & futilem eſſe perhibent. Quandoquidem, vt inquit Henricus de Aſſia ſuper Geneſim, dæmon ſimulat ſe captum, vt te capiat, &c. Etenim quicunque gentilitijs ſacrificijs, aut ſimulatis nominibus diuinis accerſiti conuolant, omnes ſunt cacodæmones: qui tametſi venire optent, cogi tamen ſe ſimulant, Porphyrio teſte, ut nos dein præſtigijs irretiant. Naturalia corpora quibus adhibentur dæmones, vel ſimplicia, vel miſta ſunt: inter ſimplicia, aereis corporibus identidem vtuntur. Sin miſta corpora uſurpauerint, vel animata, vel vitæ expertia erunt: inanimata veluti ſunt lapides & ſtatuæ, quas quandoque frequentant. Si uerò animata corpora capiant dæmones, uel ſenſibus tantùm, uel intellectu etiam erunt prędita. Sentiente quippe corpore uſus fuit dæmon, cùm ſerpentem ingreſſus primam mulierem alloqueretur, ut Gen. III. recitatur. In Auſtriæ quapiam regione compertus eſt coruus,

De dæmonum corporibus ſecundum Theologos Chriſtianos.

Dæmones non poſſe cogi ad oracula danda.

uus, qui & ſermocinaretur, & admirabilia multa dæmonis ope prꝗſtaret. Si hominem quempiam dꝗmon inuadat, uel ipſius animam uel corpus ingreditur: dæmon ſecundum eſſentiam humanꝗ menti illabi nequit: Beda nanque venerabilis ſuper Apoſtolorum actus commonet, quod nihil humanam mentem iuxta ſubſtantiam occupare poſſit, niſi ſumma illa creatrix Trinitas; hocq; ab Auguſtino lib. de Eccleſiaſticis dogmat. comprobatur. Corpus itaque dæmon ingreditur, in quo ſanguinem quandoque, humores, & phantaſiam perturbat, ut in obſeſſis; quandoque uerò latet: & à theologis tũc dicitur in corpore eſſe ſecundum uirtutis limitatæ quantitatem. Cum autem duo ſint dæmonum genera, uſque ad nouiſſimum uniuerſalis iudicij diem permanſura, aerei nempe, atque tartarei, hiq; uel in inferno impiorum animas torqueant, uel impuras in purgatorio excrucient atque ludificentur: aerei caliginoſi aeris habitatores corpora uſurpant, humanumque genus irritant, inſidijs laceſſunt, ac infeſtant. Etenim cùm dꝗmones humanis animabus infenſi exiſtant, & pertinaciter inimici: hæq; uel in inferno, uel in purgatorio, uel in uia (ut loquuntur) uel in patria diuerſentur: atque beatas nulla moleſtia contaminare queant, tres idcirco tantùm à Lucifero duce dꝗmonum phalanges inſtructꝗ fuerunt, & aereis demandata hꝗc fuit prouincia, ut animas in humanis adhuc morantes corporibus, exercerent. Cùm itaque dæmones ſecundum ſubſtantiam humana corpora ingrediantur, & propter eorum naturꝗ ſubtilitatem nullo negocio penetrent, commonefaciunt Theologi, ne ulla obſeſſo fides adhibeatur, conſtanter quamuis aſſeueranti ſe à cuiuſpiam uita functi anima obſideri: hoc nanque machinantur dꝗmones, ut ſuis uerſutijs homunculos in Pythagoreorum errorem trahant, qui animarum in aliena corpora tranſmigrationem admiſerunt: quarum dꝗmonis inſidiarum nunc Ferrariꝗ exemplum exiſtit, ubi mulier Hebrꝗa degit, à dꝗmone correpta, qui cuiuſpiam Baptiſtonis laqueo ſuſpenſi ſe animam fuiſſe audacter profitetur. Cꝗterùm, ut eò reuertatur, unde huc longo curſu à dꝗmonibus perturbata oratio declinauit, umbras dicamus, quꝗ circa ſepulcra apparent, uel noſtrꝗ imaginationis à timore nocturno deprauatꝗ phantaſmata eſſe: uel ſubdolos dꝗmones eſſe, qui nobis inſidientur. De humanꝗ imaginationis illuſionibus, ſic modulatus eſt Maro lib. 4. Aeneid.

Dæmonem haud humanæ menti illabi.

Cap. 5.

Cap 82. Tomi 3.

De dæmonum corporibus...

Dæmones aereos homines exercere.

Quid ſint vmbræ ſepulcrorũ.

Eumenidum veluti demens uidet agmina Pentheus:
Et Solem geminum, & dupliceis ſe oſtendere Thebas:
Aut Agamemnonius ſcenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris
Cùm fugit, vltriceſq; ſedent in limine Diræ.

*Et Dantes.*

O imaginatiua, che ne rube,

Chi

Chi moue te, ſe'l ſenſo non ti ſcorge?

*De dæmonum verò præſtigiis, hoc pacto cecinit Vergilius lib. primo Aeneid.*

Quid natum toties crudelis tu quoque falſis
Ludis imaginibus?

*Et lib. x. eiuſdem poëmatis.*

Tum Dea nube caua tenuem ſine uiribus umbram,
In faciem Aeneæ (viſu mirabile monſtrum)
Dardanijs ornat telis: clypeumque, iubaſque,
Diuini aſſimilat capitis: dat inania verba,
Dat ſine mente ſonum: greſſuſq; effingit euntis.

*Et Petrarcha.*

Mai notturno fantaſma
D'error non fù ſi pien, com'ei ver noi.

*Dæmonum uerſutijs comparatum fuit illud diuinationis genus, Necromantia nuncupatum, per umbras ad cadauera euocatas fieri ſolitum, de quo Lucanus memorauit lib.* VI. *ubi à Theſſalica quadam uenefica (in Theſſalia nanque plurimùm uiguerunt eiuſmodi nefariæ artes) militem recenter interfectum magicis carminibus ad uitam reſtitutum fuiſſe narrat, qui Sexto Pompeio Pharſalici belli euentum prænuntiauit. Statuamus igitur tanquam ratum, aerea umbrarum corpora haudquaquam uinculum eſſe, quo anima cum corpore coniungitur; immo uerò illud eſſe ſenſuum, inferiorumq; potentiarum imperium, cui humana mens perturbationibus agitata obtemperet: quod uinculum ſi diſcerpatur mortem obimus beatam, quam rectè philoſophantes ſæpius iucundeq; experiuntur: hæc mors inquam eſt illa, quam hieroglyphicè Aegyptij Vulturis uolatus pernicitate innuerunt. De eiuſmodi morte diſſerens Picus ille Mirandulanus, tunc contingere aſſeuerabat, quando ſolus operatur intellectus, & cæteræ otiantur animæ uires, nutritiua tantùm excepta: quæ contemplatio intima ſi diutiùs perſeuerauerit, fieri nequit, quin & ipſa uacet nutritiua; ac proinde non modo à corpore recedat animus, quinetiam & corpus ab animo diſſoluatur. Ex uinculi itaque diſſipatione, quo cum animo corpus connectitur, corporea conſurgit mors: ex alterius autem uinculi diſſolutione, quo animus cum corpore conglutinatur, incorporea & philoſophica mors inſtillatur: illa prorſus inuiſa, hæc omnino iucunda exiſtit, qua philoſophus moriendo, tanquam renouata phœnix reuiuiſcit, contemplandoq; fœlicitate fruitur. De philoſophica morte ſatis eleganter meminit Hippocrates in epiſtola ad Philopœmenem, ubi effrenatos ſenſuum affectus ſeruis comparauit domi tumultuantibus, qui protinus accedente hera, hoc eſt ſapientiæ*

In Benivienij cantionem.

De corporea morte, & incorporea.

tiæ

tiæ conſpectu, conſternati conquieſcunt; Porrò hæc eſt illa mors, quam affectabat Cleombrotus adoleſcens. Iam igitur deſinant obtrectatores ac maledici Cleombrotum præcipiti caſu laceratum, adhuc magis uerborum contumelijs lacerare: deſinant poëtæ rabido Cleombrotum morſu deridere: deſinant morales in dubium reuocare, an ipſe fortis temerariùsve fuerit. Ego hunc adoleſcentulum ſemper, non modo fortem iudicaui: quinimmo & magnanimum, cùm incomparabili animi robore ſtrenuè uitam hanc paluſtrem virtutis ſpecie floccifecerit: erroris verò ſuſpicio adoleſcentiæ condonanda eſt, inculpandaq́; Platonis uerborum obſcuritas: in re enim tanti momenti σαφήνεια interſerenda videbatur, & nebulæ prorſus erant excutiendæ. Rapaciſſima eſt vultur, cuius rapacitate philoſophantes, diligentiſſimos rerum eſſe exploratores inſinuatur: teſtatum enim reliquit Heſiodus, Titij iecur dilaniatum, tãtùm noctu accreſcere, quantùm interdiu fuerat deuoratum, vt hieroglyphicè innueret, quod meditanti noua ſemper ſuggerãtur intelligenda: nox nanque eſt contemplationis tempus, dies verò actionib. aſcribitur. De qua Titij calamitate lepidè, vt ſolet, Maro meminit lib. VI. Aeneid.

*Cleombrotus à conuitijs uindicatur.*

*Quinta vulturis proprietas.*

Per tota nouem cui iugera corpus,
Porrigitur, roſtroque immanis Vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Philoſophi, vt ad uiuum res reſecent, aciem ĩngenij intendant, neceſſe eſt: humana nanq; mens corporis caligine obnubilatur: & idcirco corpus Græcis σῶμα dicitur, παρὰ τὸ σῆμα, hoc eſt à ſepulcro, vt Plato in Cratylo docuit. Quandoquidem corporis contubernio contaminata, quaſi Lethes fluuij aquas deguſtauerit, uniuerſæ cognitionis obliuionem mens, ex Platonicorum ſententia, perpeſſa fuerit: hinc ſcientias reminiſcentias nuncuparunt: quia anima tum ab externis, quorum imagines à ſenſibus hauriuntur; tũ ab inſitis rationib. excitata reſipiſcat, eaq́; tãdem intelligat, quæ ante corporis contuberniũ clariùs percipiebat. Quocirca, ut corpus animæ tenebricoſum carcerem eſſe innueret diuinus Plato, humanũ genus oſtreorum ſimile eſſe dixit. Hac itaque vulturis (vt ſic dixerim) voracitate, innuerunt Aegyptij philoſophos eſſe naturæ helluones, nec nos debere pingui Minerua naturæ myſteria animaduertere, extremiſq́; labijs ſuauiſſimos philoſophiæ latices leuiter attingere: ſed temporis diuturnitate, ſubtilioriq́; indagine, etiam atque etiam meditando noſtri intellectus infirmitatem compenſandam eſſe, vt ipſe naturę viſcera penetrare valeat, quibus tanquam eſca recreetur. Quę omnia an veritati ſint conſona, ex hac naturali de Ruminantibus Hiſtoria, cuilibet compertum erit. Etenim natura increpanda videretur, vtpote quę ruminantia dentibus im-

*perfectè inſtruxerit: at accuratiùs hoc perpendentes, eam gemino remedio, ruminatione nimirum, & ventriculorum caterua illis cumulatiſſimè ſatisfeciſſe intelligemus: dupliciq; fomento dentium egeſtatem, imbecillitatemq; mitigaſſe concedemus. Canamus ergo cum Orpheo naturę encomia.*

Φύσι παμμήτειρα θεά, πολυμήχανε μῆτερ.

*Et reliqua, quę in hoc naturę hymno continentur. Nunc verò ne prolixior ſim, cęteras Vulturis dotes cogitatò reticebo, ſcilicet, quòd Vultur ex Hermodori Pontici ſententia, innocentiſſima ſit. cuius innocentię gratia Herodotus Vulturem ab Hercule pro iuſtitię ſymbolo habitam tradit: ſolis nanque cadaueribus contenta, haudquaquam viuentia lędit. Vnde apud Iberos olim Vultures pro ſepulcro habebantur, ſicut apud Hyrcanos canes. De Iberis ita Sillius lib.* XIII.

Varia Vulturis hieroglyphica.

Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Iberã,
Ex anima obſcœnus conſumit corpora Vultur.

*Inde mordax apud Senecam dictum:* Si Vultur es cadauer aſpecta. *Quod alluſit ſic item Valerius Martialis.*

Cuius Vulturis hoc erit cadauer?

*Hercules in ærumnis aggrediendis, ſi Vulturem aſpexiſſet, lętabatur. Augures teſtati ſunt, eum in re militari pręſtantem fore, cui Vultur in horoſcopo fœliciter volauerit. Chaldęi inſuper & genethliaci Vulturis ſyderis afflatum, ſapientiam & in negocijs obeundis prudentiam influere arbitrati ſunt. Veruntamen futuram quandoque ſtragem ſuperſtitioſis Vultures pręnuntiarunt: cuius gratia conſueuerunt priſci Reges belli tempore exploratores dimittere, qui obſeruarent, in quam exercitus partem Vultures imminerent. Tacitus nunc pręteribo, quòd ex Indico tractu (vti Hieronymus memorię prodidit) ſonorum quippiam, nucis inſtar, propter ſobolem afferant Vultures: quòd mirificè odorandi facultate polleât, veluti in Magia ab Apuleio ſignificatum fuit: hoc Auerroes item & D. Thomas comprobarunt, cùm per quingenta millia paſſuum, illas putorem perſentire teſtentur: vel quia acerrimo ſint viſu, ut nonnulli opinati ſunt: quippe quę in Damaſcena Syrię regione, Babyloniæ cadauera perſpexerint. Pręteribo itidem ſilentio, Vulturis erga filios miſericordiam, quos, vt proprio cruore enutriat, ſuamet femora roſtro proſcindit. Omitto etiam Vulturis ſimulacrum, liuorem hieroglyphicè innuere, concupiſcentiam, prouidentiam, conſummationem, atque ingenium: de quibus ſingulis Pierius Valerianus in ſuis hieroglyphicis quàm doctiſſimè diſputauit. Siquidem cuncta hæc anxiè perſcrutari nimis longam profectò expoſtularent orationem. Cęterùm, quamuis hęc de Ruminantibus Hiſtoria agreſtis videatur, & ad paſtores ſpectans: non iniucunda tamen tum ob varietatem, tum ob*

*nouitatem*

*nouitatem lectoribus fortaſſe apparebit. Nec verò ſemper grauioribus ſtudiis incumbendum eſt, quinetiam & mitioribus quandoque vacandum. Hinc Homerus poëtarum Princeps, non bellum modò Troianum, quinimmo & βατραχομυομαχίαν cecinit. Vergilius item culicis interitum dulci modulatus eſt auena. Quodſi hunc meum de Ruminantibus Cõmentarium, & haſce meas ruſticationes, ſtudioſis minimè diſplicuiſſe intellexero, maiora aggrediar, atque cum eodem Homero & Mantuano concinam.*

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Ordinis ratio.

*Verumenimuero cùm de Ruminantibus ſimus diſputaturi, operæpretium eſt in ipſo operis veſtibulo, quid ſit ruminatio, eorum propria affectio, accuratè diſcutere: & cùm in ruminationis definitione enunciatum fuerit, pabulum in ruminatione ad fauces repere, mox de eiuſmodi paſtionis egurgitatione diſſerendum eſt: quoniam verò Ruminantium pleraq; ſunt cornigera, & pauca quędam cornibus mutilata, priùs de cornigeris habendus erit ſermo: verùm quia cornigera in cornuum poſſeſſione communicant, de cornibus priùs, quàm de cornigeris diſputabimus: at quoniam cornigerorum, alia vnicornia ſunt, & alia bicornia: antea de vnicornibus, quàm de bicornibus diſceptabimus. Poſt ſermonem verò de Ruminantibus cornigeris, ſubſequetur dein ſpeculatio de ijs, quę ſunt cornibus mutilata: ſedenim horum quædam cùm non modò cornibus orbata ſint: verùm & dentibus vidua, idcirco ordinis ratio exiget, vt antea de dentium ac cornuum viduitate orationem habeamus. Cęterùm cùm ruminatio boui potiùs conſentanea videatur, congruum erit in totius operis calce oſtendere, ruminationem boui peculiarem eſſe. Quę omnia legentibus pateſcent.*

## PRAELVDIORVM FINIS.

HIERO-

# HIERONYMI BOVII FERRARIENSIS, DOCTORIS THEOLOGI;

## *In Naturalem de Ruminantibus Hiſtoriam,*

## ARGVMENTVM.

*CErnere ſi exacto res ſcriptas ordine quæris,*
*Siue cupis doctas diſcere, ſiue nouas:*
*Perlegere haud pigeat Lector Syntagmata, libro*
*Quæ culto excellens Æmylianus habet.*
*Unde vetus (dum verba facit de Rumine) Roma,*
*Romulus, atque arbor Romula dicta, docet.*
*Quodq́ue tenet nomen deductum à Rumine, nutrit*
*Quæ lacte infantes, Rumina Diua, ſuo.*
*Quòve modo ad fauces animantia pabula mittant*
*Edocet. (hinc vatum pulchra notanda leges)*
*Rumine quæ gaudent, quòd geſtent cornua bruta*
*Plura, probat, quædam & cornua nulla ferant.*
*Cur potiùs bobus, quàm alijs animantibus illud*
*Congruat, ad cauſam teſtis Homerus erit.*
*Commoda multa bouis demum, laudeſq́ue recenſet;*
*Sed laudare boues dedecet ora Bouis.*

# DE RVMINATIONIS ETYMOLOGIA, AC DEFINITIONE.

## SINTAGMA PRIMVM.

INFIMA mens noſtra, elementorum tenebris obſita, ad rerum ſimulacra expromenda, duo ſibi mirabili artificio inſtrumenta finxit, nomen nempe, atque definitionem: quorum vtroque intelligentiam quidem adipiſcimur, notitiam tamen longè diuerſam comparamus. Quippe nomine rudis admodum, turbida, & caliginoſa animis noſtris intellectio inſtillatur: at definitione ualde clara, perſpicua, ab omnique caliginis nebula expurgata rerum ſcientia hauritur. Quam cognitionis diſtributionem, in primo librorum de Naturali auditione ueſtibulo, circuli exemplo concinnè Ariſto. manifeſtauit. Hęc dignitate præſtat, illa tempore antecedit: hæc intima pandit, illa extimam tantum ſuperficiem leuiter attingit: hæc illis ſolùm conceditur, qui in ſcientiarum ſtudijs callum quodammodo contraxerint, illa uerò omnibus communis eſt, doctis & indoctis. Quandoquidem ſinguli homines, quamuis montani ſint duri & agreſtes, nominibus ſuas inuicem animi notiones, atque intimas exponũt cogitationes. Verùm licet diuinus Plato in Cratylo arduam

Duo eſſe humanæ mentis inſtrumenta.

Inſtrumentorum cognitionis diuerſitas.

Tex. 5.

in nominandis rebus ſtatuerit difficultatem, illud reſpectu nominum inſtitutoris intelligendum uenit, minimè autem reſpectu illorum uſus. Diligentiſſimi nanque nomenclatores nomina rerum eſſentijs aptè accommodant, atque adeò pro illarum uiribus eleganter diſtribuunt, ut in nominibus rerum eſſentiæ reſonent, & quaſi in ſpeculis reflexæ conſpiciantur. Vnde Solem, qui immortalis eſt omnium mortalium pater, maris nomine: Lunam uerò fœminæ nuncuparunt & Græci & Latini: quòd hic illi proprium impartiatur lumen, illa autem alienum mutuetur ſplendorem. Aegyptij tamen Lunam quoque tanquam marem nominarunt, utpote quia & ipſa terras colluſtret, quæ colluſtratæ quaſi prægnantes ſint, germina concipiant. Quare Ariſtophanes apud Platonem in Conuiuio de antiquo triplici hominum genere commemorans, maſculum Sole, fœmineum terra, & promiſcuum denique Luna, genita affirmabat: cum utriuſque ſexus particeps quodammodo ipſa ſit Luna. Iupiter, quia ut pater iuuet, & Diana, quia diem præcurrat, nomina hæc ſibi aſciuerunt. Quapropter optimum nomenclatorem in intimas rerum partes maximè penetrare oportet: ac proinde Adam primum uniuerſi humani generis parentem in imponendis nominibus plurimùm excelluiſſe ferunt, cùm ipſum rerum eſſentiæ nequaquã laterent. In nominibus uaticinium quandoque etiam deliteſcere compertum eſt: unde matricida Oreſtes à montibus nomen ſumpſit, ut eius montana atque agreſtis ob matricidium uita prænuntiaretur: & Pelops quaſi propè uidens, quòd in Myrtili cæde non prouiderit quanta Vniuerſo terrarum orbi ex Hippodamiæ connubio imminerct calamitas. Verùm unica licet ſit & ſingularis rei cuiuſque eſſentia, uaria tamen nonnunquam ſibi uendicat nomina, cùm pluribus ſcateat dotibus, quibus tanquam ſcintillis exploratur, & ueluti per anguſtiſſimos cancellos obſeruatur. Inde igitur nominum pluralitas emanauit, ut natura rei pluribus modis conſpiciatur: quod hominis exemplo exploratum erit. Etenim homo Græcis aliquando ἄνθρωπος, nonnunquam βροτὸς, quandoque uerò μέροψ nominatur. Ἄνθρωπος nuncupatur homo, quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, ideſt contemplans, quæ uiderit, ut apud Platonem in Cratylo interpretatus eſt Socrates; uel ut alij, ἄνω ῥέπον, ideſt ſurſum uergens. Βροτὸς porrò uocatur, quia caducus ſit. Μέροψ autem quòd uocem diuiſam habeat, cùm hic alia, & ille alia lingua loquatur: uel diuiſam, hoc eſt articulatam. Hanc nominum cum rebus conſonantiam non modò innuebat, quinimmo clarè exprimebat Socrates Hermogenem acriter increpans. Neque propterea inter Ariſtotelem atque Platonem ulla

Vnde nam proueniat nomenclationis labor

Quomodo eidem rei varia indi poſſint nomina.

Circa nominum impoſitionem.

ulla verſatur controuerſia,quamuis hic nomenclationes naturales, ille verò ad libitum eſſe ſtatuerit. Quandoquidem nomina naturalia eſſe cenſuit Plato, non tanquam ſint naturæ opera, uti Cratylus uo perperam, necnon Heraclitus exiſtimarunt:quinetiam naturalia uocauit Plato,quippe quę rerũ eſſentias exprimant, atque illarum imagines præ ſe ferant: cuius ſententiæ fuiſſe uidetur Hippocrates ille Cous, qui lib. de Arte, nomina naturæ lege indita eſſe teſtatum reliquit. Hanc item opinionem uidetur ſecutus P. Nigidius, qui inter multa argumenta, quibus comprobare nixus eſt nomina magis naturalia eſſe quàm arbitraria, hoc lepido & feſtiuo uſus eſt. Vos (inquit) cùm dicimus ſenſim labia commouemus, ſpiritumque ad eos impellimus, quibuſcum ſermocinamur: at contra cùm dicimus nos, labia & ſpiritum quaſi intra noſmetipſos coërcemus. Ariſt. autem nomina ad libitum eſſe iudicauit, non ut quodlibet nomen cuilibet rei imponi liceat, veluti malè opinatus eſt Hermogenes: immo uerò quia ad nomenclatoris arbitrium indi ſoleant, cuius munus ſit, tum rem nominandam, tum nomen ipſum inuicem diligenter comparare, atque æqua lance ponderare. Ariſto. igitur nomina à nomenclatore emanantia animaduertit, at Plato rebus accommodata conſiderat. Nomenclatio itaque reſpectu termini à quo, hoc eſt nomenclatoris, ad libitum eſt: ratione tamen termini ad quem, hoc eſt ipſius rei, cui nomen inditur, naturalis profectò eſt: ſiquidem rei naturam nomen enucleare neceſſe eſt, dummodo aptum, appoſiteque accommodatum fuerit. Quamobrem à Platone in Cratylo hoc pacto deſcribitur nomen. Nomen eſt uis quædam ipſius rei, primùm mente concepta, voce deinde expreſſa, literis demum ſignificata. Vnde nonnunquam nomen adeò naturæ rei reſpondere contingit, ut quid nominis, & quid rei à peripateticis vocata, ſimul coincidant. Hinc factum eſt etiam, ut Dionyſius Areopagita omnia ſacræ Theologiæ myſteria in diuinis nominibus exquiſierit: cui conſentit quoque, quod ab Origene contra Celſum ſcribitur, & quod ab Hebræis de tetragrammato nomine ferebatur. Quàm verò Ariſto. ſermonis proprietatis ſtudioſus exſtiterit, atque obſeruantiſſimus fuerit (quicquid lib. 1. Phyſicorum exarauerit Auerroes) ſatis ſuperque fidem faciunt nomina ab ipſo inſtituta, cuiuſmodi eſt ἐντελέχεια, & plura alia, de quibus copioſè Ammonius in ſuis commentarijs in librum Ariſtotelis de Interp. ad quos Lectorem relegamus. Inde in Categorijs ſcriptum reliquit philoſophus, aliquis ne contingat error, nomina quandoque fingere neceſſarium eſſe, ſi nondum accommodatè & congruenter impoſita reperiantur: ubi noua etiam inconſuetaque adducit uocabula.

Plat. atque Ariſt. conciliatio.

Nomenclatoris munus.

Nominis deſcriptio ſecundum Platonem.

Ariſtotelem ſermonis proprietatis ſtudioſum.

Com. 1.

Com. 6.

Cap. rela.

bula. Nulla ergo lis agitatur, nullave rixa agitur circa nomenclationem inter philoſophorum principes, ut nimium pertinaciter ac mordicus ſemper opinatus eſt uulgus. Corruit itidem argumentatio ab Aphrodiſeo prodita, quæ ſic nomina naturalia eſſe indicare uidebatur. Voces ſunt naturales, nomina ſunt uoces, nomina ergo ſunt naturalia. Nomina nanque (ut loco nuper citato inquit Ammonius) non ſunt abſolutè naturalia, ſed ratione materiæ tãtùm: ueluti etiam ſi quiſpiam ita argumentaretur. Lignu m eſt naturæ opus, ianua eſt lignum, ianua igitur eſt naturæ opus. Ianua quidem eſt lignum, figura tamen præditum: uti etiam nomina ſunt uoces, iam ad ſignificandum impoſitæ. Sequeretur nanque omnia artis opera, cùm naturali materiæ adhæreant, eſſe naturalia, ſi eiuſmodi ratio ueritati conſonaret, quæ ueterum ſanè philoſophantium exploſam ab Ariſtotele hæreſim ſapit, qui uniuerſam rerum eſſentiam in materiæ ſinu collocarunt. Sin autem ullum idioma, naturale exiſteret, illud profectò eſſet Hebræum, quo primi noſtri parentes uſi ſunt, & quo etiam beati homines atque damnati utentur: beati tamen quauis lingua loqui poterunt. Vnde Hieronymus, & Origenes inquiunt, experientia compertum eſſe infantem nondum à propria nutrice eruditum, pronuntiaſſe *lehem*, ideſt panem: & *yain*, ideſt uinum, quæ ambæ ſunt uoces Hebreæ. Veruntamen ſuſpicor eiuſmodi uoces adeò inarticulatas fuiſſe, ut ad uaria indiſtinctè nomina contrahi poſſent: ueluti imagines quoque non adhuc à pictoribus elaboratæ uarios confusè homines, uel diuerſa animalia obumbrare ſolent: & eò magis in hanc deſcendi ſententiam, cùm Hærodotum uideam lib. II. idemmet de Troiana lingua teſtatum reliquiſſe, ſcilicet, quòd infans paucis ante diebus natus *artos*, hoc eſt panem, & *ynos*, hoc eſt uinum prædixerit. Nec eſt vt quiſpiam nunc ambigat, cùm ad ima tartara damnatos homines, Hebraicè tantùm locuturos dixerimus, cùm tamen à dæmonibus oppreſſi uarijs loquantur linguis: etenim hoc prouenit ob maximam intelligendi uim, qua quidem pollent dæmones, cùm naturales ſeruauerint dotes. Commonefacit Plotinus lib. VIII. Enead. V. Aegyptios ſapientes in diuinis myſterijs ſignificãdis, literarum characteres, uoces pronunciationeſque ac diſcurſiones exprimentes, nequaquam adhibuiſſe: ſed integris herbarum, arborum, animaliumq; figuris uſos fuiſſe, ut ſcientiam ipſius Dei ſimplicem eſſe indicarent. Apud nos homunculos (ut res pateſcat exemplo) multiplex eſt temporis excogitatio, nempe quòd uelox, reuolutione quadam principium rurſus cum fine connectens, prudentiæ pater, rerum autor, earundemque diſſipator: quam multiplicem de tempore ratiocinationem

An ullum idioma naturale.

Cur Aegyptij hieroglyphicè ſcriberent.

nem

nem unica tantùm figura compreheděrunt Aegyptij, alatum ſerpentem, ore caudam comprimentem pingentes: cœteraq; conſimilibus hieroglyphicis figuris denotarunt, quarum hiſtoriam fuſius deſcripſerat Horus, deinde uerò locupletiſſimè Pierius Valerianus interpretatus eſt. Angelici cœlites neque nominibus, neque definitionibus intima inuicem arcana pandunt: ſed radiante quodam lumine conceptas rerum ſpecies ſibi mutuò expromunt. Sacræ noſtræ Theologiæ doctores aſſeuerarunt, ſublimiores Angelorum choros inferioribus, qui ob minorem ſuæ eſſentiæ excellentiam in immenſum Diuinitatis pelagum, ita profundè ſeſe ingurgitare, & ſacris ſapientiæ aquis obruere nequeunt, ardentiſſimo charitatis ſtimulo excitatos, aſſiduè ſacra ſanctaque Diuinitatis myſteria exponere. Angeli uerò cùm corpora aſſumpſerint, homines alloquuntur, naturalibus minimè organis voces effingentes: ſed in aere cōcinnant ſonos, humanis uocibus conſimiles. Inde fit, ut cùm circulariter nequaquam (ut ſolet) cieatur aer, ab eo ſolùm homine uoces illæ percipiantur, ad quē diriguntur: naturalia enim corpora ſubſtantijs ſpiritualibus penes motum localem obtēperare haud inficiantur Theologi: quamobrem factum eſt etiam, ut à grauioribus, de quorum numero eſt D. Thomas, conceſſum fuerit atras ſtriges uerè & ocyſſimè per immenſa aeris ſpatia dæmonis miniſterio ad profanos (ut aiunt) Dianæ, uel Herodiadis euehi ludos, ſicut item & ad amantes. Alij tamen opinati ſunt, nullum ab Angelo fieri in aere ſonum, quin ſolam uocis ſpeciem auribus humanis obijci. Cùm itaque nomen & definitio duo ſint inſtrumēta, in quibus rerum imagines conſpiciantur inſculptæ, operæprecium me facturum exiſtimaui, ſi ruminationis, circa quam præſens hæc noſtra uerſatura eſt diſputatio, tum etymologiam, tum definitionem ſcrutatus fuero. Priùs autem etymologiam examinabo, cùm quid nominis (ut inquiunt) quæſtio cæteras antecedat: unde M. Tullius in Topicis etymologiam, notationem interpretatus eſt, quaſi quòd prima rei notio ab ea ſcaturiat. Quoniam uerò etymologias explorare grammaticorum eſt munus, eorum idcirco cœtum conuocabimus, illiſque id diſcutiendum proponemus: Feſtum nempe de eiuſmodi negocio conſulemus, Seruium, Perottum, Nouarienſem, Ambroſium, Nonium, Narnienſem, Galeottum, atque Calcilium. Sed quæſo nemo nunc ſit tam ſcitus, ut obſtrepentes grammaticos contemnat, illorumque ſtomachetur grammaticationibus: ad maiora nanque, & iucundiora omni feſtinatione properabimus. Et vt à rumine exordiamur, tanquam ruminationis etymologiæ fundamēto, Feſtum dicamus & Nouarienſem

Angelorum locutio.

Ruminationis etymologia.

ſem rumen opinatos eſſe colli partem, qua eſca deuoratur: in quo-
rum ſententiam eunt Seruius, Perottus, atq; Ambroſius, rumen dicen
tes eſſe eminentem ſub mento gutturis partem. Narnienſis quoq;
colli interiores partes eminentiæ, quæ in gutture extuberatur, re-
ſpondentes eſſe arbitratus eſt. Nonius verò exiſtimauit rumen uen-
tris locum exiſtere, quo ſumitur cibus, & vnde redditur. Non uide-
tur tamen Nonius ab aliis diſſentire. Siquidem ex Galeni ſententia Cap.7.
lib. IIII. de Vſu partium, œſophagus eſt ventriculi pars. Et lib. VI. Cap.5.
eiuſdem operis, œſophagus eſt uia, qua cibus ab ore ad uentriculum
delabitur. Perottus, & Ambroſius rumen circunſcribentes dixerunt
eſſe partem, qua cibus in aluum labatur: at Seruius quòd ſit pars,
per quam ingurgitatum alimentum à certis reuocetur animalibus.
Hanc eandemmet partem uariè nuncuparunt Latini. Ambroſius
nanque eam rumen uocauit. Perottus, & Narnienſis non modò ru-
men, ſed & frumē, per ipſam quippe quia paſtio feratur, nominarūt,
quo fruges nomen traxiſſe ſuſpicati ſunt. Seruius rumam appella-
uit, à qua ruminationem originem duxiſſe exiſtimauit: at Perottus
à ruminare, ſiue ruminari deductum ruminationis nomen fuiſſe cre
didit. Ruminare autem non ſolùm, ut opinatus eſt Perottus: uerùm
etiam ut Feſtus, Seruius, & Galeottus putarunt, reuomere atque ite-
rum alimentum conficere denotat. Feſtus ueteres rumare pro rumi
nare uſos fuiſſe, & à ruminare abruptionem rumentum uocatam fuiſ
ſe animaduertit. Rumigare, ut opinatus eſt Ambroſius, idem eſt
quod ruminare, in cuius rei fidem Apulei authoritatem adducit, qui
lib. IIII. de Aſino, ait. *Iam ferè tertium palam rumigabam.* Rumina
ri metaphoricè in memoriam reuocare ſignificat. Varro in Tana-
quile. *Non modò abſens quicquam de te æquius cogitabit, ſed etiam ru-
minabitur humanitatem tuam.* Ideſt in memoriam reuocabit, Nonio
ſic interpretante. Liuius in Aegiſtho. *Nemo hæc noſtræ ruminabitur
mulieri.* In qua quidem ſignificatione nec non apud Italos ſumi ſo-
let. Speronus Speronius in Dialogo de Amore. *Veramente lo ſtar
lontano dalla coſa amata tanto, & non più, che l'amoroſa memoria rumini
il cibo, che diuorarono i ſentimenti, è all'amante non ſolamente occaſione
di farli noto il ben ſuo; ma dà cagione di render lui di giorno in giorno
più amabile.* Ruminatio & ipſa per tranſlationem capitur. M. Tul-
lius in Epiſtolis ad Atticum. *Quantò magis vidi ex tuis literis, quàm
ex illius ſermone, quid ageretur de ruminatione quotidiana, de cogitatio-
ne Publij. &c.* Vbi Cicero per ruminationem recordationem, & in
memoriam reuocationem intellexit. Hinc adagio dici ſolet, rumi-
nare negocium: hoc eſt diligenter perpendere, & ſummo ſtudio,

quid

quid agendum ſit conſiderare. In Sanctis itidem literis ruminatio pietatem & diuinarum rerum meditationem oſtendit. Metaphoricè quoque ruminatio pro frigoris acerbitate accipitur, quæ putatas uites labefactet & fragiles reddat. Plinius lib. XVII. de vinearum putatione diſputans inquit. *Si ſaucias recenti medicina mordeat quædam hyemis ruminatio, certum eſt gemmas earum frigore hebetari, plagasq; findi, & cæli vitio exuri oculos lacryma diſtillante: nam gelu fragiles fieri quis neſciat?* A ruma non ſolam ruminationem, ſed strumã quoque dictam fuiſſe nonnulli exiſtimarunt, quaſi ſtruens rumam: cuius deſcriptionem attulit Celſus lib. v. dicens. *Struma eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine, quaſi glandulæ oriuntur.* Et paulò poſt. *Naſcuntur maximè in ceruice: ſed etiam in alis, & inguinibus, & in lateribus: in mammis quoque fœminarum ſe reperiſſe chirurgus Meges autor eſt.* Sues adenoſos quoſdam tumores in gutture habent: unde Græcè ſtruma χοιρὰς à ſuibus denominata fuit, quòd numeroſæ ſobolis exiſtant: aut quòd colla gerant glanduloſa, ut Paulus Aegineta, atque Aëtius teſtati ſunt. Quemadmodum autem ſoli homines, atque ſues colla ſtrumoſa obtinent, ita quoque ſoli bronchocela infeſtantur. Plinius lib. XI. *Guttur homini tantum, & ſuibus intumeſcit, aquarum, quæ potantur, plerunq; vitio.* Rex Galliarum peculiari dono diuinitus ſibi indulto ſtrumoſos ſanitati reſtituit, languentium guttur extremis digitis uix attingens, & hæc uerba Gallico idiomate proferens. *Rex te tangit quidem, Deus autem ſanat.* Ne fortaſſe quiſpiam, tum ob ſummam erga Regem obſeruantiam, tum ob mirabiles, qui conſequuntur, effectus, excitatus commotusque Regem tanquam Deum ueneraretur, & ſeſe in flagitioſum impiæ idolatriæ crimen incautè implicaret. Monet itaque prudentiſſimus Rex ægros, ut diligenter animaduertant proprias manus, tunc cœleſtia munera diſpenſantes, Diuinitatis miniſtras eſſe: vnde nequaquam ſibi, ſed immortali Deo gratias quoque immortales agendas habendasq; perſuadet. Rex itidem Eduardus ſtrumis laborantes ſolo mirabiliter contactu ſanabat: quod priuilegium iure ueluti hæreditario ad poſteriores manauit Reges. Nanque adhuc Angliæ quoque Reges, non ſine cerimoniis, priùs quibuſdam hymnis recitatis, tactu ſtrumas depellunt. Rhumam ueteres mammam nuncupaſſe M. Catonis autoritate confirmauit Nonius: quod necnon Plutarchi teſtimonio cõprobare poterat: quã ſanè uocẽ Latini citra aſpirationem quandoq; ſcribere conſueuerunt. Rumis inſuper uocata fuit mamma. Varro lib. II. de Re Ruſtica. *Antiquo vocabulo mamma rumis: vnde dicuntur ſubrumi agni lactentes.* Rumus item Fe

Cap. 22. — Cap. 28. — De ſtruma. — Cap. 37. — Regẽ Galliarũ ſtrumas curare. — Regem Angliæ ſtrumas ſanare. — Cap. 11.

ſti teſtimonio appellata fuit mamma, & Plinij autoritate rumen, qui lib. xv. ſcripſit. *Quoniam ſub ea inuenta eſt lupa infantibus præbens rumen: ita enim vocabant mammam.* Narnienſis ait. *Rumen mamma quaſi ſumen dicitur: ſumen autem eſt vber à ſugendo.* A quibus uocibus fuit deductum uerbum rumo, quod lactare ſignificat. Perottus. *Rumam ueteres uocabant mammam, à qua ruminare pro lactare dictum eſt, quaſi mammam in rumen immittere: unde & irrumare deductum, fœdæ ſignificationis uerbum, quòd penis in os quaſi ſugendus immittatur, & ſubrumi agni dicuntur, qui adhuc ſub mamma habentur.* Inter innumerabilem Deorum gentium turbam Rumina Dea cõnumerata fuit, quæ lactentibus pueris præſidebat, de qua Auguſtinus lib. 4. De ciuitate Dei, hunc in modum meminit. *In diua Rumina mammam paruulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam.* In quorum quidem uerborum explanatione, hæc ſcripta reliquit Viues. *Rumina Dea mammarum: quoniam rumen mamma antiquo uocabulo.* Et paulò poſt. *Huic Deę lac libabatur, lacte aſpergebantur hoſtiæ.* Lilius Gregorius Gyraldus in ſua de gentium Deis Hiſtoria, ſcriptis mandauit. *In ſacris Deę Ruminę inferre vinum expiatione dignum fuit: quippe illi ſacrum facientes, hoſtiæ lac, non vinum ſpargebant.* Plutarchus in Quęſtionibus Rom. *Quid eſt quòd Ruminæ rem diuinam facientes, hoſtijs lac ſpargere, & libare conſueuerunt: uinum autem non adhibent? An quòd Latini rumam mammam nominant, & ficum ruminalem: ideò factum ferunt, quòd ibi lupa Romulo mammam præbuit: quemadmodum eas igitur, quę pueros alunt à mamma diximus thilonas, ſic rumina nutrix quędam, & puerorum altrix merum infantibus pręcipuè noxium prorſus non recipit.* De Rumina item Dea mentionem fecit M. Cato lib. de Liberis educandis, hoc pacto. *Hiſce manibus lacte fit, non vino, Cuninę propter cunas, Ruminę propter rumam.* Rumia necnon uocata fuit hæc Dea. Varro lib. 2. de Re ruſtica. *Non negarim (inquam) ideò apud diuæ Rumię ſacellum à paſtoribus ſatam ficum: ibi enim ſolent ſacrificare lacte pro uino, & lactentibus.* Eandemmet Deam Plutarchus in Rom. Rhumiliã nuncupauit, cum aſpiratione. *Rhuma mamma dicebatur à veteribus; vnde Rhumilia Dea dicta eſt, quę educationi infantium pręeſſe putabatur.* Inter tot arborum ſpecies ſola ficus ruminalis appellata fuit: quippe ſub illa Romulo, atque Remo lupa præbuerit mammas: quam hiſtoriam idem Plutarchus ſic lib. de Romanorum Fortuna recitat. *Deinde cùm in lucem editos Romulum, & Remum tyrannus interfici uellet, fortunę ductu traditi non barbaro aut ſeuo: ſed miſericordi humanoq; ſeruo, qui eos non interfecit: ſed in ripa fluuij, ubi is uiride pratum alluebat, locusq; humilibus obumbrabatur arboribus, depoſuitponè*

capri-

Margin notes: Cap. 18 — De Rumina Dea. — Cap. 18 — Syntag. 17. — Quæſt. 57 — Ficus cur ruminalis dicatur.

*caprificum, cui ruminali poſtea nomen eſt factum. Exin lupa, quę recens pepererat, catuloſq; amiſerat, turgentibus lacte vberibus grauata, leuationiſq; indiga ſuperueniens infantes fouit, & vbera prębuit, quaſi alterum partum lac deponens. Marti autem ſacra auis picus ſubinde ad eos uentitans, ſummiſq; inſidens unguibus alternis infantium ora roſtro ſuo aperuit, ſuiq; alimenti bolos inſeruit; ac ficum quidem ruminalem appellant à rhuma, ideſt vbere, quam lupa ibi ſeſe dimittens infantibus prębuit. Diu autem loci iſtius accolæ hunc morem tenuerunt, vt nihil natum exponerent; ſed omnia tollerent, atque educarent, Romuli caſum & ſimilitudinem venerantes.*
Cap. 18
Plinius quoque præallegato loco lib. xv. hoc pacto de ficu commemorauit. *Colitur ficus arbor in foro ipſo, ac comitio Romę nata ſacra fulguribus ibi conditis: magiſq; ob memoriam eius, quæ nutrix fuit Romuli, ac Remi conditoris appellata: quoniam ſub ea inuenta eſt lupa infantibus prębens rumen. &c.* Locus autem ubi hoc contigit ex quorundam ſententia Lupercal vocatus fuit: quòd lupa ibi Romulum Remumq; nutriuerit, *Lupercal* (ait Liuius) *ludicrum in monte Palatino.* Alij tradunt, quòd ludicrum ipſum, ſeu templum Lupercal vocatum, in ſpecu ſub monte Palatino exiſteret: quorum ſanè opinionis adſtipulator videtur poeta Latinus, qui lib. VIII. Aeneid. ſic cecinit.

*Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.*

Ouidius lib. II. Faſtorum.

*Illa loco nomen fecit, locus ille Lupercal,*
*Magna dati nutrix pręmia lactis habet.*

Ficus necnon eiuſdem vatis ibidem autoritate romula, atque rumula nuncupata fuit.

*Arbor erat, remanent veſtigia, quęque vocatur*
*Romula nunc ficus, rumula ficus erat.*

Nonnulli ijſce nominibus (vt refert Calcilius) à ſuprema gutturis parte uocatam fuiſſe ficum opinati ſunt: alij verò à ruminatione. Ruminantia vtpote ſæuos Solis ardores declinantia, plerunque ad hanc arborem ſeſe recipiant, ſuauiq; aura fruentia, ingeſta alimẽta, magna cum voluptate ruminare ſoleant. Etenim denſarum umbra frondium nimij temperantur ardores. Proinde Verg. in Bucol.
Eclog. 1.

*Fortunate ſenex, hic inter flumina nota,*
*Et fonteis ſacros, frigus captabis opacum.*

De ruminali ficu varia lib. VIII. Aeneid. apud Seruium leguntur. Inter plurima Iouis cognomina ab antiquitate illi attributa, Ruminus quoque cognominatus fuit: nempe quòd animalia ruma, ideſt mamma aleret, qua de re Auguſtinus meminit lib. VII. de Ciuita

te Dei, Gentium ineptias irridens: quemadmodum etiam Alus, & Alumnus nuncupabatur, quòd omnia aleret uiuentia. Tiberim fluuium, Rumonem, & Sertam vocatum fuiſſe ait Seruius, quaſi ripas ruminās: ſicut etiam in aliqua Vrbis parte Tereotus dictus fuit, quia terat ripas. Ruminantia animalia falſis Dijs immolata, hoſtiæ ruminales nuncupabantur, Plinius lib. VIII. *Coruncanius ruminales hoſtias, donec bidentes fierent, puras negauit.* Cap. 51 Porrò quænam hoſtiæ uocarentur bidentes, & cur ita nuncuparentur, & doctè, & copioſè expoſuit ſic Aulus Gellius lib. XV. Noctium Atticarum. *P. Nigidius in libro,* Cap. 6. *quem de Extis compoſuit, bidentes appellari ait, non oues ſolas; ſed omnes bimas hoſtias. Neque tamen dixit apertiùs, cur bidentes. Sed quod vltro exiſtimabamus, id ſcriptum inuenimus in Commentarijs quibuſdam ad ius Pontificium pertinentibus: bidennes primò dictas, littera immiſſa, quaſi biennes; tum longo vſu loquendi corruptam eſſe vocem, & ex bidennibus bidentes factum: quoniam id uidebatur eſſe dictu faciliùs. Hyginius tamen Iulius, qui Ius Pontificium non videtur ignoraſſe in IIII. lib. quos de Vergilio fecit, bidentes appellari ſcripſit hoſtias, quę per ętatem duos dentes altiores haberent. Verba illius ipſa poſui. Quę bidens eſt (inquit) hoſtia, oportet habeat dentes octo, ſed ex ijs duos cęteris altiores, per quos appareat ex minore ætate in maiorem tranſcendiſſe. Hæc Hyginij opinio, an uera ſit, non argumentis, ſed oculis iudicari poteſt.* Quæ verò de bidentibus ſcripſerit Feſtus, Nonius, & pluribus in locis Seruius, breuitatis gratia omitto. Cæterùm, ut quod longiori ſermone diſcuſſum fuit, paucis abſoluatur, dicamus. Vrbem Romam à Romulo appellatam fuiſſe, atque ab eodem romulam arborem nuncupatam: uel ut alij exiſtimarunt, romulam arborem à ruminantibus dictam fuiſſe ſtatuamus, ruminantia ab ipſo ruminare, ruminare verò à ruminatione, & tandem ruminationem à rumine ſuprema gutturis parte nomen traxiſſe, quod ſanè principium eſt, & fundamentum huiuſce (ut ſic dixerim) onomaſticæ genealogiæ. Aliqui etiam à rumine rumifero uerbum emanaſſe putarunt, quo uſus eſt Plautus in Amph. *Quamq; adeò ciues Thebani uero rumiferant probam.* Necnon rumigero, quod idem ſonat, obſoletum tamen. Rumito inſuper, & adrumo quidam ab eodem deduxerunt. Verbum etiam Italicum rumare, quod de canibus & ſuibus dici ſolet, qui ſe cibis ingurgitantes ad rumen uſque obruunt. Rumen itidem (ut dictum eſt) mammam ſignificat, à quo Rumina, ſiue Rumia, uel Rhumilia lactentium infantium Dea cognominata fuit: penes quam ruminis ſignificationem ficus & ruminalis, & rumula appellabatur, deinde verò etiam romula, ut ex Ouidio compertum eſt. Ferreum illud inſtrumentum, boum ſtimulo

Quænam hoſtiæ bidentes.

Ruminationis etymologiæ compendium.

adiectum,

adiectum, quod Latini rullam uocitarunt, in nonnullis Italiæ regionibus romaiolum uocatur, quaſi quòd terram uomeri adhærentem detergendo ruminare quodammodo uideatur. Quoniam verò diligentes naturæ ſcrutatores non extimam modò ſuperficiem contemplantur: ſed maiori ſtudio naturalia ad uiuum reſecant: quorum ueſtigia ſectantes poſt ruminationis etymologiam, illius definitionem proponemus, atque expendemus. Quæſtionem nanque ſi eſt appellatam diſcutere nō eſt opus, cùm nemo ſit, qui ruminationem nō admittat, dum ruminantia ruminare animaduertit. Priuſquam tamen ruminationis definitionem afferamus, minimè ignorandum, eā quandoque latiùs, quandoque verò preſſiùs ſumi poſſe: preſſiùs quidem pro illa iterata pabuli leuigatione capitur, quę ſolis ruminantibus adaptatur: at latiùs (vt in Diuinis literis) non modò pro hac, verùm etiā pro illa cibi attritione, quę ſolis inciſorijs adminiſtratur dentibus, qua lepores & mures uti ſolent. Ruminationis autem propriè acceptæ definitionem proponemus. Petrus Aponenſis ruminationem ita deſcripſit in commētarijs, quos in Ariſtotelis problemata edidit.

Sect. 10 Probl. 44.

*Ruminatio eſt reſumptio cibi ad os aſſumpti, ex altero ventre ad maſticationem in illud, quæ quidem fuit neceſſaria animalibus, dentibus in ſuperiori mandibula carentibus, ut digeſtioni apparetur.* In qua definitione omnia cauſarum genera continentur: materialis nimirum, formalis, efficiens, & finalis. Ruminationis materia ſunt alimenta, forma eſt noua illa paſtionis leuigatio, poſt paſtus à uentre ad os regreſſum confecta: efficiens eſt ipſum animal ruminans: finis uerò, ut paſtio faciliùs ab innato calore ſuperari queat. In hac inſuper ruminationis definitione genus, uarięque differentię illius amplitudinem coarctātes, reperiuntur. Definitio enim eſt proprium eſſentiale, ut propriū coanguſtat, ut verò eſſentiale proprium definiti eſſentiam pandit, quę quidem cùm plerunq; ob tenebricoſam humanę mentis intellectionem inter denſas caligines obnubilata latitet, accidit, ut illa ultima ac ſpecifica uarijs extimis circunſcribatur differentijs, donec ſcilicet definitum intra proprios coerceatur milites. Siquidem definitio Gręcis ὅρος vocatur, quæ uox terminū metam limiteſq; denotat. Verumenimuero ſi ultimæ rerum differentiæ, aliud facientes à Porphyrio nuncupatæ, nequaquam nos laterent, in definitione tot uarias differentias coaceruare minime opus eſſet: ſed ex genere immediato, vnicaque eſſentiali differentia definitio conſtrueretur, & omnium calculis tanquam abſoluta approbaretur. Quandoquidem (ut iam ſtatutum eſt) definitionis munus eſt definiti eſſentiam enucleare, quę in partibus eam conſtituentibus ſpectatur: duę uerò tantummodo hę ſunt,

Ruminationis definitio.

Cap. de diff.

Quæ nam ſit perfecta definitio.

ſunt, materia nempe atque forma. Proinde duæ etiam duntaxat ſint perfectæ definitionis partes, neceſſe eſt, propinquum ſcilicet genus, & eſſentialis differentia, ut inter alia loca VII. Metaphy. Auerroes determinauit. Genus materiam, differentiam verò formam denotare peripatetici autumarunt. Etenim quemadmodum materia indiſcriminatim hanc illamve formam in proprio ſinu recipere ualet, ita & genus nullo diſcrimine oppoſitis ſubſternitur differentiis: at differentia formæ ſignificatiua dicitur, quia generis amplitudinem coarctet, formæ inſtar, quæ interminatam terminet materiam: inde eſſentiales differentiæ, cùm ſpecies conſtituant, ſpecificæ appellari ſolent. Quapropter abſolutam definitionem uix ullam, quinimmo nullam naturalis agnouit philoſophus: rectiùs uerò definit logicus, cùm ipſe circa res ab humana mente fabricatas uerſetur, & naturalis circa naturæ opera nobis ignotiora uolutetur. Hinc factum eſt, ut in Ariſtotelis logica perfectas nonnunquam lectitemus definitiones: cuiuſmodi eſt demonſtrationis definitio ab Ariſtotele tradita in III. Analytico. *Demonſtrationem dico ſyllogiſmum ſcientialem.* Et lib. I. Perierm. enunciationem, eiusq; utraſque ſpecies rectè ſic definiebat philoſophus. *Enunciatio eſt oratio, in qua verum, vel falſum eſt. Affirmatio eſt enunciatio alicuius de aliquo. Negatio enunciatio alicuius ab aliquo.* Et aliæ definitiones perpolitæ in Ariſtotelis Organo traduntur. Ad propoſitum itaq; negocium redeuntes, dicamus ruminationis definitionem ab Aponenſi traditam, pluribus comprehenſam fuiſſe differentiis, cùm res naturæ, non artis ipſa ſit ruminatio. In hac uerò definitione *reſumptio* eſt genus, quod uiciſſim ad actionis paſſionisùe categoriam redigi poteſt, prout refertur uel ad alimentum, uel ad animal ruminans. Poſt genus quod primum in definitione locum ſibi uendicat: utpote quod materiam indicet, quæ omnium formarum tam naturalium, quàm artefactarum baſis exiſtit, illisq; tanquam fundamentum ſubſternitur: ſequuntur differentiæ, quarum prima eſt, *cibi.* Quandoquidem in ruminatione non quodlibet reaſſumi debet, ſed alimentum. Addit, *ad os aſſumpti.* Quoniam panem, aliumùe cibum manu accipere poſſem, illumq; deponere, iterumq; eadem manu illum apprehendere: & idcirco partem determinat, quæ in ruminatione alimentum reaſſumat. *Ex altero ventre*: hoc aſſertum fuit, quia panis buccellam in os immittere poſſem, poſtea ab ore eam extrahere, iterumq; ad os admouere. *Ad maſticationem in illud*; hoc adhibitum fuit ratione uomitus, quo nonnunquam ad os alimenta repunt, nec tamen ut adhuc attenuentur. *Quæ quidem fuit neceſſaria animalibus, dentibus*

*in*

Qũo genus materiã, & differentia formã ſignificet.

Cõ. 41.

Cur logicus rectius definiat q̃ naturalis.

Text. 8.

Cap. 4.

Traditæ definitionis partiũ conſideratio.

*in ſuperiori mandibula carentibus , vt digeſtioni apparetur.* **In quibus** profectò uerbis conciſè ruminationis neceſſitas continetur, cur neceſſaria ſit, quibuſnam animalibus neceſſaria, & quamobrem à natura fuerit inſtituta. Verùm ex iam habitis haud leuis emergit difficultas: alimenta enim ruminationis materiam priùs eſſe ſtatuimus, mox uerò differentiam in definitione formam manifeſtare diximus, & poſtremò cibum in ruminationis definitione, differentiam eſſe iudicauimus: quì fieri poteſt igitur, ut paſtio ruminationis ſit tum materia, tum forma? præſertim cum Ariſt. in II. Phy. docuerit cæteras cauſas (ut aiunt) coincidere, præter materiam. Vt eiuſmodi tollatur ſcrupulus, nequaquam ignorandum eſt, quòd in definitione non adhibetur materia, neque forma. Etenim ſubſtantia corporea definitio eſſet, ſi ex partibus ijſce eſſentialibus ipſa conſtaret. Sed quoddam ipſi materiæ ac formæ proportione reſpondens adiicitur, uti in ſua Iſagoge ſtatuæ exemplo explanauit Porphyrius: inde Auerroes lib. VIII. Metaph. genus eſſe quaſi materiam, & differentiam quaſi formam prodidit. Quia (vt dictum eſt ſuperiùs) genus cùm ampliorem poſſideat latitudinem, atque indifferenter ad alteram oppoſitarum differentiarum ſe habeat, cum ipſa materia congruere uidetur: differentia verò cùm illud coarctet, formæ inſtar, quæ materiam alioqui communem ſibi determinat, formam præmonſtrare cenſetur: proinde Auerroes loco nuper adducto, omnes differentias poſtremam antecedentes, quaſi definiti materiam eſſe autumauit. Quocirca quandoque contingit, ut quod eſt definiti materia, formæ vicem in definitione gerat: cuiuſmodi ſanguis eſt iræ materia, & tamen in ipſius definitione differentiæ loco ponitur, cùm iram definiamus, ſanguinis feruorem eſſe circa cor, ob uindictæ appetitum: lateres inſuper, calx, & ligna ſunt domus materia: attamen in eius definitione tanquam differentiæ locantur, cum domum definiamus, tegumentum eſſe ex lateribus calce & lignis conglutinatum, ut nos ab aeris iniuriis tueatur. Quoniam autem differentiæ aliç materiam, & aliæ formam oſtendunt: hinc duplicem machinati ſunt eſſe definitionem, alteram materialem, alteram verò formalem, ex quarum vtraque perfecta & abſoluta definitio conſtituitur. Cæterùm inculpanda uidetur Aponenſis definitio, cùm paſtionem dicat ex altero uentre ad os remeare, quaſi à ſecundo eiuſmodi fiat regreſſus: ſunt nanque in ruminantibus quatuor cibi receptacula, à quorum primo talis fit eſcæ redditus, ut ſuo intelligetur loco. Manca item (ni fallor) eſt ruminationis tradita definitio, ubi habetur illam animalibus neceſſariam fuiſſe, dentibus in ſuperiori mandibula carentibus: cùm ea

Inſtantia.

Tex. 70 — Solutio.

Cap. de diff. Com. 6

Prima inſtãtia aduers⁹ Aponẽſis definitionem.

Secũda inſtantia.

ſilentio

ſilentio inuoluantur animalia, quæ utranque maxillam obtuſis dentibus munitam habent, ut ſcarus piſcis. Ruminationem itaque hoc pacto definiamus. Ruminatio eſt pabuli à primo uentre ad os, ut iterum attenuetur, egurgitatio, animalibus apprimè neceſſaria, quæ illud primò exactè emollire nequeunt, ut faciliùs ab innato calore ſuperari queat. In qua quidem poſtrema definitionis parte, ruminationis uſus adnectitur. Quandoquidem neminem latet, quòd dentibus manditur, extenuatur, atque mollitur cibus, ut in uentriculo faciliùs concoquatur. Primæ nanque alimentorum coctionis præparatio in ore adminiſtratur: ſicut ſecundæ in meſenterij venis exhibetur: & tertiæ, quæ in ſingulis partibus fit, in exilibus exercetur uenis, in quibus ſanguis manifeſtiùs permutari incipit. Cùm uerò ruminatio inter motiones recenſeri poſſit, in quarum ſingulis ſex numero reperiantur, ipſa ſcilicet motio, mouens, motum, duo motus termini, ac illius finis. In habita ruminationis definitione hęc omnia coaceruata fuiſſe uidentur: in qua continetur egurgitatio, quæ motionis eſt ſpecies: animalia ruminantia, quæ eiuſmodi moliuntur motionem: pabulum, quod cietur: primus uenter, qui huiuſce motionis terminus à quo exiſtit: os, quod eſt terminus ad quē: & finis, quæ eſt facilior alimenti concoctio. Atqui obijciet fortè quiſpiam, ruminationem comprobans non omnino ruminantibus neceſſariam fuiſse. Etenim animalia reperiuntur, quæ neque dentibus ſunt armata, neq; ruminant, cuiuſmodi ſunt uolucres omnes, multa piſcium genera, atque nonnulla terreſtria animalia. Vnde Plinius lib. XI. *Quibus neque dentes vtrinq;, neq; ruminatio*. Ad quam ſanè difficultatem diluendam, adducenda eſt animalium diſtinctio, quam attulit M. Tullius lib. de Natura Deorum. *Animalia alia ſugunt, alia uorant, alia mandunt*. Ruminatio nanque ijs neceſſaria exiſtit, quæ uel inopia, uel uitio dentium pabula imperfectè mandunt, quorum ſpeciebus hoc naturaliter inſit: non ruminantibus autem aliis auxilijs opitulata eſt ſolers natura. Narrat Aponenſis loco præallegato, quòd meri, hoc eſt gula Arabicè ſic nuncupata, & Græcè οἰσοφάγος, & eſt fiſtula illa, qua cibus potusq; in uentriculum labuntur: narrat, inquam, quòd interior gulæ tunica in ruminantibus ex duabus fibrarum generibus manifeſtè contexta cernitur (ſunt autem fibræ ſtamina, quæ manifeſtiùs in carne conſpiciuntur) longis nempe ac tranſuerſis: longis quippe, ut pabulum ab ore ad uentrem feratur: tranſuerſis autem, ut ab eodem uentre ad os retrocedat. Proinde Gal. lib. III. de Natural. facul. rationem reddens difficultatis uomitus in homine, cùm priùs gulæ illius conſtructionem

*Margin notes:* Perfecta ruminationis definitio. — Tres alimentorum præparationes. — Inſtantia. — Solutio. — Cap. 37. — Sect. 10. Prob. 44 — Gulæ ruminantiū textura. — Cur uix homo uomat. — Cap. 8.

ſtructionem docuiſſet, hęc tanquam corollarium intulit. *Atque idcirco deglutire faciliùs eſt, quàm uomere, quòd ſcilicet deglutiatur ambabus ventris tunicis operantibus: interna quidem trahente, externa ſe contrahente, vtraque trudente: uomatur autem altera tantùm, quæ foris eſt, agente, nec ullo in os trahente.* Quod etiam ab Auicenna lib. III. Canonis, confirmatum fuit, vbi non ſine labore hominem euomere inquit. Siquidem in homine interior gulæ tunica ex fibris ſolùm conflatur longis, & exterior tranſuerſis, latitudinalibus ab ipſo uocatis. Verùm haud facilis emergit difficultas. Etenim Gal. lib. XIIII. de Vſu partium, hæc ſcriptis mandauit. *Singula inſtrumenta dum agunt, fibris rectis quidem ad ſeſe attrahunt, tranſuerſis verò excernunt: retinent autem omnibus ſimul.* Quod ſi uerum eſt (ut certè eſt) ſtatim ruit Aponenſis ratio, qua oſtendere enixus eſt, alimentorum à uentre ad os impulſionem in ruminantibus ob tranſuerſales fibras faciliorem eſſe, quibus interior gulæ tunica cum longis conſtruitur. Quandoquidem illis ſiſti potius, ac retardari pabulum neceſſarium eſſet. Quem quidem ſcrupulum nequaquam ſubterfugiemus, tranſuerſales interioris tunicæ ipſius gulæ fibras in eiuſmodi animalibus rectis ualidiores eſſe aſſeuerantes: pabulum nanque deuorare ruminantia minimè valerent. Sed obiectionem hoc pacto facilè ſedare poterimus, ſi rectas fibras atque tranſuerſas ſeſe mutuò impedire dixerimus, quotieſcunque contraoperantes ſint: rectæ enim tunc attrahere nequeunt à tranſuerſis diſtractæ: tranſuerſæ item expellere non poſſunt à rectis perturbatæ: ex qua quidem lucta tertia quædam conſurgit operatio, quæ neque attractio, neque expulſio, at retentio appellatur. Sedenim ſi dum operantur rectæ, tranſuerſæ fuerint ocioſæ, attrahendi facultas tunc exerceri poterit: & econtrario quando tranſuerſæ operantur, ſi rectæ ocioſæ fuerint, expellendi facultas tunc temporis ſuo munere fungi poterit. Quapropter inferendum eſt ruminantia rectis fibris alimenta deglutire, ocioſis tranſuerſis: & contra à uentre ad os expelli cibos, tranſuerſis operantibus, rectis autem ocioſis. Amplius forſitan rectiùs iudicauerimus, ſi rectas interioris tunicæ ruminantium gulę fibras dixerimus, non modò utiles eſſe ad eſcam ingurgitandam, ut & in aliis animalibus contingit: verùm etiam ad illammet egurgitandam. Quare illa euomendi difficultas, quam lib. III. de Natural. facul. proponebat Gal. in ruminantibus non admittitur, cùm in ipſis rectæ fibræ ad fauces conuellantur, dum paſtionem egurgitant: quemadmodum item in paſtus ingurgitatione ad ſtomachum contrahuntur. Nec à ueritate latum quidem unguem aberrauerimus, ſi Galenum exiſtimauerimus

Fen. 13. Tract. 1. Cap. 1.

Cap. 14.

Inſtantia.

Solutio obiecti.

Altera ſolutio.

Cap. 8.

Cap. 11.

Tertia ſolutio.

E per

per omnes fibras intellexiſſe, non modò rectas, tranſuerſasq;, quarum meminerat: quinimmo obliquas etiam, quæ ex eiuſdemmet Galeni ſententia eodem lib. III. de Natural. facul. uirtutis retentricis miniſtræ ſunt. Reticere nunc nequeo, in nominandis fibris Græcorum atque Arabum diſcrepantiam. Etenim fibrę ab ipſis Græcis rectæ nuncupatę, ab Arabibus, cùm per muſculorum perducantur longitudinem, longitudinales dicuntur. Tranſuerſę uerò à Gręcis uocatę, cùm per muſculorum latitudinem diſtribuantur, latitudinales ab Arabibus appellatę fuerunt. Demum obliquæ fibrę à Gręcis dictæ, ab Arabibus tranſuerſales nominantur. Quare tranſuerſales fibræ Græcæ Arabeſque diſtinguuntur. Quid igitur ſit ruminatio, iam ſatis conſtat.

Græcorum Arabūq; in fibris nominandis diuerſitas.

## SYNTAGMATIS PRIMI, FINIS.

RVMI-

# RVMINANTIA AD FAVCES PABVLVM EGVRGITARE.

## SYNTAGMA SECVNDVM.

RVMINANTIBVS miſerta natura gemino remedio opem tulit, ruminatione ſcilicet, atque ventriculorũ multitudine: quę duo auxilia, uel ob dentium egeſtatem, vel ob illorum mutilatam aciem ab ea vafrè fuerunt excogitata. Quòd autem rumìnatio ob dentium inopiam fuerit instituta, Ariſtotelis patefaciunt autoritates: ſcriptis enim mandauit *Cur ruminatio inſtituta.*
Cap.17. lib. II. de Hiſtoria. *Altera maxilla dentata ruminare dicuntur.* Et lib.
Cap.vl. IX. eiuſdem operis. *Ruminant quæ ſuperiore dentium ordine carent, ut*
Cap.14. *boues, oues, capræ.* Et lib. III. de Partibus. *Quæ enim non utrinque dentata cornigera ſunt, ruminant.* Vbi animaduertendum eſt, quòd cornigera nominauit pro exemplo Ariſt. non autem, vel quòd ſolis cornigeris iſtud conceſſum ſit, uel quòd dentur cornigera quædam utrinque dentata, ut cuipiam fortaſſe philoſophi uerba oſcitanter conſideran
Tex.28. ti apparebit. Hoc idem teſtatur Gal. com. I. in Hippocratis librum de Articulis. Ruminat item ſcarus piſcis, quia malas obtuſis dentibus armatas gerat. Veruntamen in adductis nuper locis nulla fit de eiuſmodi ruminantibus commemoratio: pleraque quippe ruminantia dentibus ſint orbata. Sed ut planiùs id percipi queat, minimè ignorandum uidetur, tres præcipuos dentium eſſe uſus: quorum primus hominis maximè proprius cenſetur, alter multis beluis communis, tertius autem tum homini, tum cæteris communicatur animali- *Tres dentium vſus.*

 bus,

bus, quę dentibus maxillas munitas habeant. Primus dentium vſus eſt vocem cõcinnè articulatam reddere, nequaquam verò informem effingere, cuiuſmodi eſt lacrymoſus infantium vagitus, ferarumque ſibilus: quod quidem munus quatuor primoribus pręcipuè dentibus mandatum fuit. Secunda dentium vtilitas eſt mordere ac diſcerpere, quæ homini manſueto animali atq; ciuili neutiquam congruit. Tertia uerò dentium utilitas eſt alimenta mandere, ut faciliùs in uentriculo conficiantur: idcirco tres dentium claſſes in quibuſdam animalibus fuerunt à natura inſtructæ, huic poſtremo negocio deſeruientes: hocque ob paſtus diuerſitatem machinatum fuit: inciſorij nimirum, molares, atque canini. Inciſorij ſanè, ut teneriores cibos incidant: canini, ut duriores frangant: & molares, ut alimenta inciſa fractave molliant. Hęc curſim de dentibus enarrata ſint, fuſiùs fortaſſe aliàs de ijs habebitur diſputatio. Cum itaque ob dentium mendicitatem ruminantia cibos attenuare haud ualeant, illis ruminatione ſuffragatum fuit, ut ex citatis proximè autoritatibus cõſtat. Quòd autem ob eorundem inopiam, ventriculorum cateruam molita ſit natura, Ariſtotelis etiam teſtimonio manifeſtari poterit, qui lib. 11. de Hiſtoria prodidit. *At uerò omnia dentata maxilla utraque uentres ſingulos habent, ut homo, canis, ſus, urſus, leo, lupus.* Et lib. 11. de Partibus. *Habent hæc ſingula plureis uentres, ut ouis, capra, ceruus, & ſimilia: ut cum officium oris non ſatis in molendo cibo adhibeatur propter inopiam dentium, munus uentrium expleat, dum alius ab alio cibum recipit: ſcilicet primus infectum, ſecundus aliquantulum confectum, tertius pleniùs, quartus perquam plenè confectum: ita fit, ut genus hoc animalium receptacula cibi habeat plura.* Quarum concauitatum nomina recenſuit deinde Ariſtoteles dicens: καλοῦνται δὲ ταῦτα κοιλία, καὶ κεκρύφαλος, καὶ ἐχῖνος, καὶ ἤνυστρον. Quę uerba ſic Latina reddidit Gaza. *Quibus nomina hæc aut indita ſunt, aut indere licet, venter, arſineum, ſiue reticulum, omaſum, abomaſum.* Quo in loco animaduertendum eſt, primum illum ſinum proprio nomine nuncupare renuiſſe Ariſtotelem: tres autem alios ſequentes peculiaribus uocibus diſtinxiſſe: quoniã & quæ gradiuntur, & quæ ſerpunt, & quæ natant, & quæ uolant, & omnia denique animalium genera, ſunt primo uentre donata, ad paſtum ſcilicet capeſcendum conficiendumque, in quo quidem illum tanquam in proprio penu auidè recondunt. Quapropter ruminantia à non ruminantibus ratione primi ſinus, qui omnibus communicatur animalibus, inuicem nequaquam diſcrepant, diſcordant autem tribus alijs ſibi proprijs. Cùm itaque primus uenter omnibus concedatur animalibus, eum communi nomine ſignificare uoluit Ariſt.

Ventriculorum copia ob dentium inopiam eſſe.

Cap. 17.

Cap. 14.

De ventriculorum nomenclatur.

reliquos

cap.vi. reliquos uerò nomenclationibus proprijs inſignire. Porrò cùm lib. II. de Hiſtoria Ariſt. de ruminantium cibi receptaculis ſedulò diſputet, vbi & vocabulorum etymologiam, & coctionis ſinuum ſitum, magnitudinem, figuramque tradit, operæprecium eſt illius uerba adducere. *Quadrupedes uiuiperæ, cornigeræ, altera maxilla dentatæ quaternos eiuſmodi habent ſinus: quæ quidem & ruminare dicuntur: gula enim incipiens ab ore deorſum tendit ad pulmonem, ſeptumq; tranſuerſum: hinc ſe ad ventrem applicat maiorem, qui parte interiore aſper, interceptuſq; eſt, ac propè gulæ commiſſuram, ſinum ſibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum uocant: eſt enim ventri ſimilis extrinſecus, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multò quàm uenter minor. Hunc excipit omaſum parte interiore aſperum, cancellatum, cruſtatum, magnitudine reticuli. Abomaſum uenter ab eo alius iungitur, magnitudine amplior omaſo, forma oblongior, cancellis intus, & cruſtis multis magnis, & leuibus innormatus, mox inteſtinum iam ſequitur. Cornigera altera maxilla dentata omnia ad hunc modum ſuum habere uentrem certum eſt.* Secundus ergo uenter κεκρύφαλος dicitur, cùm retis præ ſe ferat ſpeciem, quo mulieres ſuos concinnant crines: hoc item rete κροκύφαντος ex Didimi ſententia uocatur, in ſuis in Homerum ſcholijs lib. XXII. Iliad. Tertius autem ſinus ἐχῖνος nuncupatus fuit, utpote qui internas quaſdam habeat aſperitates. Siquidem inter uaria ipſius ſignificata, hęc uox animalis genus ſignificat, cuius quidem duæ extant ſpecies, quarum altera terreſtris exiſtit, altera uerò marina: utraque tamen ſpinis ſcabra. Quarta concauitas ἤνυστρον appellata fuit ex quorundã ſententia, ἀπὸ τοῦ ἀνύτειν, hoc eſt perficere: quæ etymologia ſatis remota uidetur, uocis attamen ſignificatio huiuſce quarti uentris vſui haud parùm accommodatur: in hoc nanque uentre paſtionis coctio perficitur: quam ſanè huiuſce uocabuli interpretationem approbaſſe uiſus eſt Philoponus in ſuis, quos in quartum Ariſtotelis Analyticum edidit, commentarijs, ἤνυστρον interpretans uentrem perficientem & concoquentem cibos. Verumenimuero non mediocrem tum difficultatem, tum admirationem ex Philoponi uerbis percepi, qui cibi paſtioniſque receptaculorum nomina referens, illa peruertit: eoque magis cùm ipſum in literis Gręcis maximè exercitatum cognouerim: quippe qui libros de arte grammatica eruditè conſtructos ediderit, quorum gratia Grammatici nomen ſibi aſciuit: quique aduerſus Proclum inuehatur, utpote linguæ Græcę ignarum: attamen ruminantium alui concauitatibus diuerſa indidit nomina, eaque, quibus Ariſt. uſus fuerat, confundit. Siquidem primus uenter ab ipſo Philopono uocatur στόμαχος, ſecundus ἐχῖνος, tertius ἤνυστρον, quartus

De inferiorum trium uentrium nominibus.

Ventriculorum nomina ſecundũ Philoponũ

quartus αὐτος: quæ poſtrema uox inter uaria eius ſignificata uas profundum denotat, ſic fortaſſe à Philopono appellatus, cùm cæteris uētriculis maiorem habeat profunditatem quartus. Ariſtoteles in IIII. Analytico de ijs, quæ ſeſe conſequuntur diſputans, ait. *Vt cornua habentia habere ἐχῖνον, & non vtrinque dentata eſſe*. Quo in loco uocem illam ἐχῖνον aliqui interpretati ſunt erinaceum, alij reddiderunt ericium, à ſpinoſo illo animali ijſce nominibus appellato: alij autem Gazam ſequentes uerterunt omaſum. Vbi conciſa Ariſtotelis breuitas admiranda uenit, qui unico uentre uentriculorum omnium cateruam indicare uolens, primum præterijt, utpote cunctis animalibus communem: reliquorum uerò trium, qui ruminantibus peculiares ſunt, ſecundum, quartumque miſſos facit: tertium autem accipit, qui inter utrunque interiacet. Quandoquidem magis conſentaneum uidebatur, ut per medium ambo extrema intelligerentur, quàm ſi per extremorum alterum, medium ipſum extremumque aliud circunſcriberetur. Conſueuit tamen Ariſto. nonnunquā per utraque extrema medium denotare, quod à Philopono obſeruatum fuit lib. II. de Anima, dum philoſophi uerba perpendit, qui de uegetantis animæ potentijs diſputans, de nutritiua facultate ac generatiua ſolùm meminerit, augendi uim prætermittēs, quæ inter utranque locatur. Primus porrò uenter magnitudine atque capacitate reliquos ſuperat, ut ruminantia maiorem pabuli copiam deglutire poſſent, & tanquam in penario loco reconditum reſeruare, quod quidem exinde maiori otio ruminarent. Quartus uenter inteſtini inſtar oblongior eſt, cùm cæteri conglobati ac rotundiores exiſtant, cuius ſanè ſublimior pars ima in maiorem effunditur magnitudinem, atque dilatatur amplitudinem. Quamobrem ſicut utriuſque intercapedo eſt atque interſtitium, ita etiam utriuſque figuram participare uidetur: uentris quidem ratione eminentioris eius partis, quæ cum alijs cibi receptaculis connectitur: inteſtini uerò ratione infimioris partis inteſtinis finitima. Vnde ſi liceret (uti nonnunquam licet) nomina effingere, humiliorem hunc alui ſinum inteſtinalem uentrem ipſum nuncuparem. Tres ſuperiores uentres globoſi atque rotundi à natura fuerunt fabricati. Rotunda nanque figura, Archimede teſte in tractatu de Iſoperimetralibus, capaciſſima eſt omnium iſoperimetralium, hoc eſt æqualium circunferentiarū. Quocirca ſi duæ fuerint inſulæ ambitus uicenorum ſtadiorum, quarum altera triquetra ſit, altera autem rotunda, capacior erit rotunda: uel ſi ex eodem luto uas modò rotundum, moxque quadratum finxerimus, hoc idē compertum habuerimus, ut Theon teſtatus eſt lib. I. Syntaxeos magnæ

[Margin notes: Tex. 86. — Tex. 48. — De ventriculorū magnitudine, atque figura. — Rotundam figuram capaciſſimam.]

gnæ Ptolemæi. Hinc Plato in Timæo ſummum rerum Opificem hanc mundi machinam rotundam figuraſſe arbitratus eſt, ut congregatam rerum multitudinẽ in ſuo ampliſſimo ſinu includeret. Quemadmodum enim circulus omnes figuras, quæ in plano deſcribuntur, capacitate ſuperat: ita quoque ſphæra inter ſolida maiorem poſſidet amplitudinem. Siquidem à mathematicis demonſtratione comprobatur, quòd figurarum, quæ ſint æqualis circunferentiæ, quæ pluribus angulis eſt referta, capacior exiſtit: & capaciſſima quę angulorum prorſus fuerit expers. Sedenim ſicut in planis figuris maiorem capacitatem habet hexagonus quadragono, circuluſque hexagono: ita & in ſolidis octahedrus cubo, dodecahedrus octahedro, & ſphæra dodecahedro plura continere poterit. Cœleſtis figuræ naturalem reddidit Ariſtoteles rationem, utpote mundi ipſius æternitati eam conſentaneam eſſe aſſeuerans: at Plotinus diuinam prorſus huiuſce mundanæ rotunditatis cauſam indagauit, hoc pacto philoſophans. Diuini intellectus maximè peculiare eſt in ſemetipſum reflecti: ſpecies nanque intelligendo ſeipſum intelligit, & ſe intelligendo item ſpecies intelligit, cùm ſpecierum plenitudo exiſtat, ſitq; ſpecierum ſpecies: unde ineffabilem circulum fieri contingit. Quare ex magni huius Platonici ſententia, cœlum rotunda figura fuit donatum, circularis motus nempe gratia, quo quidem cum intellectu humanæ mentis architecto ſymbolum adipiſceretur: effectus nanque cauſæ, à qua propagatur, imago exiſtit atque exemplum. Stellæ porrò globoſæ ſunt, neutiquam ut maiorem poſſiderét capacitatem, ſolidæ cùm ſint: immo uerò ob maiorem pulchritudinem ita fuerunt ab Opifice ſapientiſſimo constructæ: rotunda etenim figura (ſi Platoni credimus) cunctis pulchritudine præſtat. Sedenim redeamus unde digreſſi ſumus, dicamùſque naturam tres ſuperiores ruminantium uentres uſqueadeò tornaſſe, ut copioſiorem paſtum capeſcere ualerent. Primus & ſecundus paſtionis ſinus finitimi ſunt imæ extremitati gulæ, quæ à uetuſtioribus Græcis, Ariſtoteleque œſophagus nominata, & dein ſtomachus (Galeno ſæpius monitore) appellata fuit: primus quidem ut cibos rude manſos contineret, ſecundus uerò ut remanſos reciperet, ne tum attenuati pabuli, tum rudis inutilis permiſtio atque perturbata confuſio fieret. In prima ruminantium alui concauitate eſca adhuc rudis cernitur, ubi feſtucæ etiam atque uix lacerati ſurculi conſpiciuntur. Proinde quod à Bartholomæo Euſtachio circa ruminantium uentriculos animaduerſum fuit, eos ſcilicet duriori tunica obductos eſſe, primo magis cibi receptaculo peculiare cenſetur, qui ſcabra & aſpera alimenta recipit. In ſecundo ue-

Cur rotundum ſit cœlum.

Lib. de détibus cap. 27.

rò

rò ſinu ampliùs conficitur cibus, & magis adhuc in tertio elaboratur, ut in infimo tandem alimenti coctio abſoluatur, ubi in eum candidum migrat laticem, qui Græcis χυλὸς, & Latinis cremor nominatur: quo quidem humore ex omnium conſenſu uentriculus oblectatur, & ex quorundam ſententia etiam nutritur. Porrò quatuor naturalibus facultatibus pabuli coctio exercetur, attractione nimirum, retentione, concoctione, atque expulſione: quibus uiribus quilibet alui ſinus paſtum ad ſe attrahit, attractum retinet, retentum ſubigit ac mutat, mutatumque ad inferiorem concauitatem abigit: non ſecus ac in quibuſdam artis operibus nonnunquam contingere ſoleat, quæ plurium artificum miniſterio indiguerint. Etenim primus artifex materiam etiam tum rudem ſumit, dein retinet, poſtea in illa elaborat, elaboratamque pro eius uiribus artifici alio porrigit: qui illam quoque accipit, retinet, exornat, tertioque tribuit artifici: & ita deinceps ſi maior etiam opera ad eius ornatum requiratur. Prȩter quatuor enumeratas facultates naturales à Grȩcis conceſſas, quinta ab Arabibus introducta fuit, ab ipſis diſcretiua uocata, cuius autor Albumazar extitit, & Galenus omnino illius ignarus: ſi quæ Auerroes lib. III. Colliget ſcripſerit, uera fuerint: eiuſmodi uerò potentiæ munus ſecundum eundem Auerroem eſt, alimentorum ſpecies agnoſcere, & à uero nutrimento excrementa ſegregare, atque ſingulis corporis membris pro cuiuſque naturali temperatura illud diſtribuere, ut quælibet pars ſuo proprio ac familiari alimento reſtauretur. Fatetur ſanè galenomaſtix Auerroes, Galenum facultatem quandam ſeparatiuam uocatam non ignoraſſe, hanc tamen diſcretiuam non agnouiſſe, quȩ ab illa plurimum eſſentia ac tempore diſtinguatur. Veruntamen haud opinari non poſſum, Galenum naturæ myſteriorum diligẽtiſſimum exploratorem, in cuius aureis operibus præter conciſum ordinem aliud quippiam deſiderari nequit, eiuſmodi uim ignoraſſe: & ut alia eius nunc loca, quæ id perſuadere uidentur, omittam, recitabo tantùm quod in IIII. Apho. ſcripſerit. *Siquidem oportet coctionem præire, ſubſequi uerò diſcretionem, & poſtea euacuationem, ut bona ſit criſis ſiue iudicium.* Hæc nanque ſuccorum diſcretio, quam in obeũdis criſibus ipſa natura molitur, quid quæſo aliud eſt, niſi huiuſce facultatis diſcretiuæ operatio, quæ humores noxios ac rebellionem facientes à familiaribus ſecernit, ut tãdem uehementi impetu illos refutet, hos uerò accuratè cuſtodiat, atque amplexetur. Nec defuerunt, qui, ut Galeni partes tuerentur, diſcretiuam illam uirtutem ad illas quatuor commemoratas naturæ uires redegerint. Nulla titubandi anſa datur, quì fieri poſſit, ut hæc à natura, cum

De ruminátium coctione.

De facultate diſcretiua.

Cap. 16.

Galenum diſcretiuá facultaté agnouiſſe.

Aph. 22

ignara

ignara ſit, exerceantur: ipſa enim (ut à peripateticis circunfertur) ab intelligentia non errante dirigitur, quę quidē ſiue ſit illa à Platonicis mundi anima vocata, ſiue alia ſit naturalis imperij moderatrix, nūc à nobis minimè determinandum erit: attamen ne rem magni adeò momenti ſicco (vt aiunt) pede pertranſiſſe uideamur, varias ſaltem de mundi anima ſententias recenſebimus. Nobiliores philoſophi mundum animatum eſſe ſtatuerunt, cuius animam alij corpoream, alij vero incorpoream opinati ſunt: corpoream exiſtimarunt Stoici, quippe qui nimium humiles ſenſibuſque inhærentes, nihil ſupra res materiales atque corporeas excogitauerint: cæteri incorpoream dixerunt, quorum alij haud à Deo diſtinxerunt, inter quos recenſendus videtur Ariſt. qui lib. XII. Metaph. necnon in VII. Phy. Deum diurni motus ratione per vniuerſum permeantis, totius motorem appellauit. Chryſippus quoque, Strato, & Seneca inter Deum & mundi animam nullum diſcrimen conſtituerunt, ipſam vitam quandam eſſe per vniuerſum effuſam aſſeuerantes. Alij hanc mundi animam ab ipſo Deo ſeiunxerunt, de quorum quidem numero uidetur Plato, qui ingenij acie ſupra mundi animam, mentem, & ſupra mentem Deum eſſe cenſuit. Platonicorum autem nonnulli à firmamenti anima indiſtinctam eſſe iudicarunt, quidam uerò, ut Ficinus, diſtinctam. Proclus in Timæi commentarijs mundi animam intelligentem eſſe opinatus eſt: Plato enim in Epiſtolis Diuinitatis veſtigium ad eam vſque pertingere iudicauit. Plotinus mundi animā, Venerem nonnunquam uocauit, & primæ materiæ animam, quæ in orbe cœleſti atque caduco eadem ſit: quamobrem Iamblicus inter academicos cognomento diuinus, in hoc mundano animali partes quamuis loco diſtantes propter naturę vnitatem inuicem conglutinari aſſeuerauit. Mundi animam in Philebo atque Phædro Iouem appellauit Plato: quo item nomine Thales Mileſius & Democritus eam uocarunt. Vnde Auguſtinus lib. IIII. de Ciuitate Dei, hæc ſcriptis commendauit. *Omnes Dij Deæq; ſit vnus Iupiter, quibus eum placet eſſe mundi animum, & cęteros Deos, vel partes, vel uirtutes eius.* Mundi animam tribus nominibus Vergilium nuncupaſſe certum eſt. Etenim Iouem nominauit in Bucolicis.

De hac Auer 12. met. c. 8 & Themiſtius.

De mundi anima digreſſio.

Tex. 43.

Tex. 84.

Cap. 11.

Eclog. 3.

*Iouis omnia plena.* In Aeneide Spiritum.

Lib. 6.

*Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Et in Georg. Deum.

Lib. 4.

*Deum nanque ire per omnes*
*Terraſq;, tractuſq; maris, cœlumq; profundum.*

F *Hinc*

*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.*
*Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere uitas.*

Quocirca uidetur potius poeta Latinus ad Ariſtotelis ſententiã, quàm ad Platonis opinionem circa mundi animæ eſſentiam deflectere, Chryſippi autem doctrinam amplexari: falluntur itaque quicunque eum hac in parte Platonicum autumant. Inſuper mundi anima, cùm ab ea in lucem prodeant ſortes, humanarum ſortium mater vocata fuit. Mundi itidem anima à Platone in x. de Rep. neceſſitatis Dea dicta eſt, neutiquam quia ſingula ab ipſa manantia neceſſariò fiant, quinimmo hoc titulo fuit inſignita, quippe quæ cum quapiam naturæ neceſſitate à ſupremo principio ſibi inſita eodem tenore ubique operetur, atque decenti ordine conſeruet producta. Inde tres eius filiæ ex Demogorgone natæ, Parcæ, quia nemini parcãt, nuncupatę fuerunt: ad mũdi enim animam fatum ſpectare dicitur, quod nil aliud eſſe perhibetur, niſi conſtantem atque firmam mobilium rerum diſpoſitionem. Quandoquidem ſicut ſe habet prouidentia ad diuinam mentem, ita fatum ad mundi animam, natura ad res natura conſtantes, & prudentia ad rationalem animam: ex quibus quatuor legum genera ſcaturiunt, nempe prouidẽtiæ, fati, naturæ, & prudentiæ: prudentiæ leges imitantur naturæ leges: leges naturæ, fati: leges fati, prouidentiæ: conſonantque ſimul eiuſmodi leges, nec niſi maiori minorive excellentia diſcordant. Leges nanque prouidentię excellentiſſimæ ſunt, infimæ verò prudentiæ: fati leges à prouidentiæ legibus dignitate ſuperantur, præſtant autem tum naturæ, tum multò magis prudentiæ legibus. Fati atque naturæ conſonantiam in v. Phy. ijs verbis manifeſtauit Ariſt. *Sunt igitur & generationes quędam violentæ, & non fato determinatæ, quibus contrariæ ſunt eę, quæ ſecundum naturam.* Et Alexander Aphrodiſienſis in lib. de fato ad Imperatores Seuerum, & Antoninum inquit. *Relinquitur igitur fatum in his eſſe dicere, quæ natura fiunt: ut idem fatum & natura ſint: nã quod fatale ſecundum naturam, & quod ſecundum naturam fatale, &c.* Fati inſuper atque naturæ conſenſum non ignorauit Demoſthenes in egregia illa oratione, cui titulus eſt περὶ στεφάνου: & M. Tullius in I. Antoniarum: hoc item non latuit celeberrimos vates Homerum, atque Vergilium: hic nanque lib. IIII. Aeneidos de Elyſa loquens, quę gladio ſibi mortem conſciuit, ſic cecinit.

Quid ſit fatum.

Quotnam ſint legum genera.

Tex. 57.

Cap. 3.

*Nam quia nec fato, merita nec morte peribat:*
*Sed miſera ante diem, ſubitoq; accenſa furore,*
*Nondum illi flauum Proſerpina uertice crinem*
*Abſtulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.*

Fatalem

Cap. 14. Fatalem mortem Ariſt. lib. de Iuuent. &c. nuncupauit ſecundum naturam. Verùm fortaſſe quiſpiam objiciet, qui fieri poſſit, ut fatum ſit immutabilis diſpoſitio, ut à nobis decretum fuit: vel, ut Gellius ait, ſit ratio, & ordo, inſuperabiliſque neceſſitas: ſi quod fato ſtatutum eſt, ipſa ſuperetur violentia. Niſi fatum ex ſui natura inuariabile eſſe dixerimus: variari tamen rerum cõtingentia, cuius ſanè duo principia exiſtunt, humana nempe libertas, & materiæ indifferentia. Proinde Plutarchus libello de Fato, hæc memoriæ propagauit. *Etenim fatum omnia continet, ſicut etiam videtur: neque tamen propterea omnia neceſſariò euenient, ſed vnumquodque pro ſuæ naturæ modo.* Corruant hoc pacto igitur Homeri aliorumque poëtarum autoritates, quæ fati neceſſitatem aſtruunt, cùm non modò fato, quin & uiolentiæ contingentia ſubiiciantur. Quocirca cùm abſurda quædam de Socrate philoſopho integerrimo affirmaſſet Zopyrus phyſiognomon, & à Socratis auditoribus derideretur: reſpondit Socrates Zopyrum nequaquam mentitum fuiſſe, erã enim (uti ipſe teſtatus fuit) naturæ ratione huiuſmodi, niſi ex philoſophiæ ſtudio meliorem fuiſſem naturam adeptus. Quicunque uerò plura de fato deſiderat lib. tum Alexandri, tum Plutarchi de fato adeat. Sed ne nimio progreſſu noſtra flacceſcat oratio, redeat, unde digreſſa eſt. Ariſtotelis itaque autoritatibus à nobis conſtitutum fuit, tum ruminationem, tum uentriculorum copiam ob dentium uitium in ruminantibus à natura fuiſſe excogitatas: cui quidem Ariſtotelis ſententiæ haud refragatur ipſe Gal. quippe qui in 11. de Natura Humana exarauerit. *An quæ ruminant animalia, quatuor uentres habeant: quæ autem utrinq; ſunt dentata unum, à ſenſu hoc, non ex demonſtratione petendum.* Et lib. VI. de Anat. adminiſt. *Si ſuperiores dentes non habeat, ventriculos huic neceſſariò plureis exiſtere, ut in primum ſtatim pabulum ingerat: mox ex hoc ruminans ore conficiat: deinde rurſus in alium ventrem deglutiat: ex hoc rurſus in alium transferat.* Et paulò poſt. *Id igitur ex me diſcas, quoduis animal ſuperioribus carens dentibus plureis ventriculos obtinere, & omnino ruminare: ſicut rurſus, cui ſuperior dentium acies conceſſa eſt, hoc non ruminare poſſe, nec etiam multos habere uentres: ſed unum tantùm, & ſic inſtructum, ut in carniuoris.* Nec eſt profectò, ut quiſpiam nunc ſuſpicetur, haudquaquam ruminantia dari, quæ obtuſis in ſuperiori maxilla dentibus ſint munita, cùm locis nuper citatis eiuſmodi ruminantia ſilentio præterierit ipſe Gal. Siquidem hæc cùm perpauca admodum ſint, illa verò multò plura, quæ dentibus ſint orbata, idcirco ad illa potius, quàm ad hæc reſpexit. Ex adductis tum Ariſtotelis tum Galeni lo-

Margin notes: Inſtantia. — Lib. 13. c. 1. — Solutio. — Tex. 6. — Tex. 3.

cis iam ſatis conſtat, in ruminatione à primo uentre ad fauces repelli paſtum, ut in ore noua læuigatione ipſe emollitus, in reliquis tribus cibi receptaculis abſolutè conficiatur. Huncmet paſtionis regreſſum, necnon diuiſiua methodo hoc pacto oſtendi poterit. Cùm ruminantia ruminant, uel uacuum os habent, uel quippiam in ore continent: at neutiquam dicendum eſt illorum os tunc inane eſſe, repletum ergo: ſin repletum, uel alimentorum reliquiis ibi reſeruatis, aut pabulo à primo uentre illuc translato: uerum minimè ueritati conſentire uidetur, ruminantium os paſtionis reliquiis occupatum eſſe: omnibus enim animalibus ipſa ruminatio communis eſſet, dentatis ſcilicet edentulisq́; : immo dentibus armata multò magis ruminarent, cùm inter dentium interualla alimentorum particulæ commorari conſueuerint. Inferendum ergo alimentum in ruminatione ad os repere, quod nequaquam paſtores latet. Quandoquidem bos (vt eius nunc exemplo utar) cùm comederit quantum ſibi uiſum fuerit vſui fore, ſeipſum proſternit, deuoratiq́; paſtus globulum à primo uentre ad os repellit, quo attenuato ad ſecundum trudit uentrem, aliumq́; ſubinde globulum ad os tranſmittit, hocq́; etiam emollito ad eundem ſecundum propulſat uentrem: atque ſigillatim alimenti partes identidem modò egurgitat, modò ingurgitat, donec prima illa concauitas uacua, atque inanis prorſus relinquatur. Quamobrem Gal. in VI. de Locis affectis, hœdi recentiſſimè in lucem editi hiſtoriam recitat, huic noſtræ diſputationi maximè accommodatam, quæ cum prolixior ſit, breuitati ſtudens totam enarrare ſuperſedebo: hanc tamen poſtremam partem reticere non poſſum. *At longè maiori admiratione dignum eſt, quod poſtquam & folia, & teneros ramuſculos deuorauerat, paulò poſt ruminare cœpit: quod rurſus omnes quotquot aderant uidentes, exclamarunt cum magna facultatum admiratione, quæ animalibus natura inſunt: quamuis enim magnum uidebatur, quod impellente fame per os, atque dentes cibum aſſumeret, multò tamen vehementius admirati ſumus, quòd cibum in uentriculo iam contentum in primis quidem ad os ſubleuando reduceret, deinde multo tempore tereret, poſtremò rurſus ipſum deuoraret, idque non in eundem, ſed in alium uentriculum.* Nec relinquitur ullus ambiguitatis locus, quì fieri ſcilicet poſſit, ut per eandemmet ſemitam pabulum aſcendat, atque deſcendat. Etenim eiuſmodi alimenti motiones diuerſis exercentur temporibus: ſicut nullum ſequeretur incommodum Socratem diſtinctis horis per eandem uiam modò ab Athenis ad Thebas proficiſci, & modò à Thebis ad Athenas regredi: quod etiam Galeni verbis explicari poterit, qui lib. III. de Natural. facult. uaria conſimilia

Diuiſiua methodus.

Cap. 6.

Cap. 13.

ſimilia recenſet exempla. *Iam nec illud difficile compertu eſt, & tractum, & expulſionem diuerſis temporibus per eundem meatum fieri: ſi modò uentris ſtomachus, quam gulam uocamus, non cibos tantùm, potionemq́ in ipſum ducere: ſed etiam in nauſeis contrario fungi miniſterio, cernitur. Etiam ueſicæ, quæ ſub iecore eſt, collum, cùm unum ſit: tamen per ſe ueſicam non ſolùm implet: ſed etiam uacuat. Vteri præterea ſtomachus quod collum appellamus, pari modo, ſicut intro ſeminis, ita foras partus uia eſt.* In ruminatione cibos per gulam ad os ſcandere Plinij item teſtimonio ſic confirmauerit quiſpiam, cùm libro de Hiſtoria
Cap.73. naturali x. de ruminantibus ſermonem faciens, hæc literis commendauerit. *Pontici mures ſimili modo remandunt.* Quod quidem ab ipſo Ariſtotele excerpſerat (vti & plura alia ad animalium naturam
In calce ſpectantia) qui in IX. de Hiſtoria animal. literis prodiderat. *Pontici mures ruminant.* Quaſi Plinius interpretetur uerbum illud, *ruminant*, ideſt *remandunt*. Si itaque eſcam ruminantia remandunt, fieri nequit quin illam ad fauces euomant. Proinde Homerus ruminationem ἀμοιβὴν appellare uoluit lib. XXII. Odyſſ. ut eiuſmodi in ruminatione alimenti regreſſum innueret, cùm ἀμοιβὴ inter uaria eius ſignificata uiciſſitudinem quandam, atque permutationem ſignificet. Hanc eandemmet iteratam paſtionis in ruminantibus læuigationem Latinum poëtam nequaquam fugit, qui in Bucolicis ita eſt
Eclog. 6 gracili modulatus auena.

*Ah virgo infœlix tu nunc in montibus erras:*
*Ille latus niueum molli fultus hiacyntho*
*Illice ſub nigra pallentes ruminat herbas.*

Quo in loco Seruius uocem illam *pallentes*, ſic explanat. *Pallentes autem vel aridas, uel quæ uentris calore propria uiriditate caruerint.* Hoc quoque Hetruſci poëtę non ignorarunt. Dantes Aligerius in ſuo illo poëmate, quod Comœdiam nuncupauit, uel quia ſicut in comœdiæ primordio omnia turbulenta ſunt, & cuncta in calce pacata conquieſcunt: ita quoque in eiuſmodi poëmate priùs acerbæ inferi pœnæ, deinde uerò immenſa paradiſi gaudia deſcribuntur. Vel hoc nomen indidit, quia ueluti in comœdia humanæ imago uitæ deſignatur, atque ob oculos exponitur, ut præcipites moderentur affectus, atque effrenatæ cohibeantur cupiditates: ita in hoc poëmate nimij calores, æſtusq; intollerabiles enarrantur, qui ob patrata flagitia miſeros excruciant ſceleſtos, & torquent impuros, ut pœnę ſæuitia humana mens perterrita à proprijs expurgetur coinquinamentis, expurgataq; pace beata, atque immenſis paradiſi delitiis tandē iucundè fruatur. Vel dicamus (liceat queſo in hoc parùm digredi)

Cur Dantis poëma Comœdia inſcribatur.

Dan-

Dantem ſuum illud opus ita inſcripſiſſe, quippe qui omnia poëmata in libro de Vulgari eloquentia, ad tria genera redegerit, ad tragœdiam ſcilicet, comœdiam, & elegiam: ut ſub tragœdia complectantur, quæ grauiori ſtylo conſcribuntur: unde Vergilij Aeneida tragœdiam uocauit. Sub comœdia comprehendantur mediocri cantata ſtylo: hinc Comœdiam inſcripſit poëma ſuum. Ad Elegiam uerò reducit humiliori exarata ſtylo. Dantis carmina, ubi paſtionis in ruminantibus regreſſum innuit, hæc ſunt.

*Quali ſi fanno ruminando manſe*
*Le capre, ſtate rapide & proterue*
*Sopra le cime, prima che ſian pranſe:*
*Tacite à l'ombra, mentre che'l Sol ferue,*
*Guardate dal paſtor, che'n ſù la verga*
*Poggiato s'è, & lor poggiato ſerue.* Cāt. 27. Purg.

Ampliùs Areoſtus in Celta Furente, amœnam ueneficę Alcinę inſulam deſcribens, ita cecinit.

*Tra le purpuree roſe, e i bianchi gigli*
*Che tepida aura freſchi ogn'hora ſerba;*
*Securi ſi uedean lepri, e conigli,*
*E cerui con la fronte alta e ſuperba,*
*Senza temer, ch'alcun gli uccida, ò pigli,*
*Paſcano, ò ſtianſi ruminando l'herba.* Cant. 6.

Sannazarius inſuper in ſua lepidiſſima Arcadia, agreſtia Androgei paſtoris funeralia explicans, bubulcum cæteris digniorem hæc alijs enarrantem introducit. *Ohime che à pena i noſtri armenti ſanno ſanza la tua ſampogna paſcere per li uerdi prati, li quali mentre uiueſti ſoleuanſi dolcemente al ſuono di quella ruminare l'herbe ſotto le piaceuoli ombre delle freſche Elcine.* Et in eodem poëmate. *Conciosiacoſa, che in ſù quell'hotta haucan per coſtume gli armenti di venirſene tutti à ruminare le mattutine herbe all'ombra de' freſchi alberi.*

Et alibi Ophelia bubulcus hæc cecinit.

*Vieni Montan, mentre le noſtre tormora*
*Ruminan l'herbe, e i cacciator s'imboſcano*
*Moſtrando à i cani le latebre, e l'ormora.*

Necnon alius poëta Hetruſcus ſic modulatus eſt.

*Ruminate ò mio gregge à l'ombra eſtiua*
*L'herbe paſciute.*

Paſtandis. Cęterùm naturam fortaſſe quiſpiam tanquam ſuperuacanea inſtituentem accuſare poſſet. Quandoquidem ſi ruminantia diutiùs in ore alimenta retardarent, & diligentiùs manderent, neq; ipſis rumi-

natione, neq; uentriculorum multitudine opus eſſet. Naturam tamen ab eiuſmodi calumniis atque contumelijs facilè uindicabimus, ſi fieri nequaquam poſſe dixerimus, ut planè in ore molliantur eſcæ, niſi in minimas prius laceratæ fuerint particulas: at pabula ad unguem ruminantia læuigare nequeunt, quippe quæ uel inciſoriis ſuperioris maxillæ dentibus ſint orbata, uel inaculeatos obtineant dentes. Quamobrem nutrimenta rudi primò quadam ac leui inciſione fracta, atque comminuta obliguriunt ruminantia, quæ tepida quapiam humiditate imbibita in prima alui concauitate molliora redduntur, atque ad fauces teneriora repulſa meliùs attenuantur: perinde ac ſenibus contingere ſoleat, qui cùm ſint à dentibus inopes, panem priuſquam ad os admoueant uino, alioùe aſpergunt humore, quem quidem hoc pacto emollitum calloſis ſubinde gingiuis nullo propemodum negocio mandunt; inde ſenes ruminare circunfertur. Paſtum itaque in ruminantibus ad os repere, neutiquam fuit niſi ſumma cum ratione ſancitum. Verùm aduerſari uidetur Ariſtotelis autoritas, qui ſect. x. Probl. ſcriptis mandauit. *Ruminantibus ructare negatum eſt.* Cum igitur ruminantia ructare nequeant, neque etiam eructare poterunt, quod propriè ſignificat aliquid ructando eijcere. Vnde Verg. lib. III. Aeneidos de cyclope Poliphemo ſic cecinit. Solutio. Obiectio. Prob. 43

*Nam ſimul expletus dapibus, vinoq; ſepultus*
*Ceruicem inflexam poſuit, iacuitq; per antrum*
*Immenſum, ſaniem eructans, & fruſta cruento*
*Per ſonitum commiſta mero.*

Per ſaniem intelligens Poëta cremorem nondum perfectè elaboratum, atque in uentriculo concoctum. Hæc uerò uox eructare ſuam vſqueadeò expandit ſignificationem, ut nonnunquam noſtri cordis occultas meditationes, atque inexploratas cogitationes indicet. Quocirca Rex pſalmographus ſic pſalmum auſpicatus eſt pſalterio.

*Eructauit cor meum verbum bonum.* Ps. 44.

Sed ampliorem adhuc verbum eructare ſignificationem gerit. Etenim non modò animalibus accommodatur, uerum etiam inanimatis rebus adaptatur, ut ex eodem poëta ibidem conſpicuum eſt, dum de montis Aetnæ incendijs impetuque canit.

*Interdum ſcopulos, auulſaq; viſcera montis*
*Erigit eructans.*

Si igitur ruminantibus eructare interdictum eſt, quì fieri poterit, ut ab ipſis paſtus ad fauces impellantur? Haud difficilis tamen eſt huiuſce difficultatis ſolutio. Siquidem uerbum ructare gulę conatum ſignificat, quo ipſa nititur à uentre ad os aliquid propulſare: at quod Solutio.

reiicitur

reiicitur uel ſpirituoſum exiſtit, uel aliud quippiam ſolidius: in rumi nantibus ſpirituoſum nequaquam educitur, ſed ad os nutrimenta euomuntur. Quare Ariſto. præallegato problemate inquit. *Quin etiam ruminantibus ructare negatum eſt: quoniam plureis continent uentres, & quem reticulum appellamus. Facultas etenim meandi tam ſuper, quàm ſubter flatibus multifariam præſtatur. Itaque humor conſumitur antequam in flatum uertatur, qui flatus mouet uel ructum uel crepitum.* In qua item ſignificatione uerbum ructare apud Italos capi ſolet. Ex præcitato problemate adhuc alia emergit perplexio, cum ruminã tia ructare inficietur Ariſtoteles: attamen L. Columella rerum ruſticarum peritiſſimus lib. VI. ſuæ Agriculturæ bouem ſæpius ructare teſtatum reliquit. Quæ ambiguitas tolletur, ſi Ariſtotelem de ſano boue, & Columellam de ægrotante locutos fuiſſe diſtinxerimus: quod quidẽ bubulcorum teſtimonio ſtabiliri poterit, qui, ſi ieiunus bos ructauerit, pathognomonicum ſignum eſſe perhibent. Petrus Aponenſis adductum Ariſtotelis problema explanans, ait, nec hominem ructare ſolummodo, quinimmo ob humiliorem ipſius temperaturã, & podice concrepere. Quod ſanè approbare nequeo. Quandoquidem homo non ſolum præ cæteris animalibus eſt humidus, ſed etiã calidus, vt iudicauit Ariſt. Probl. ſect. IIII. & in I. de Gen. animal. quibus in locis ait hominem ob humidiorem & calidiorem corporis cõſtitutionem, ſeminis plurimum emittere. Inde etiam ob calidiorem temperaturam, rectitudinem adeptus eſt, ut corporis figura animi excellentiæ reſponderet, quod ab eodem Ariſtotele lib. II. de Partibus indicatum fuit, & ab Ouidio lib. I. Met. Quocirca ſicut ab humido flatus in homine generari contingit: ita etiam à calore ne generentur prohiberi, & iam geniti diſſipari poterunt. Fortaſſe tamen quiſpiã, vt Aponenſis partes tueretur, nobis refragari poſſet, Ariſtotelis autoritate fretus, quippe qui in II. Meteorol. teſtatus fuerit poſt imbres vt plurimum ſpirare ventos, & quòd ab Vrſa, & Meridie maximè flant, ob earum regionum humiditatem: uti etiam ex uiridibus lignis maxima fumi copia expiratur. Quæ omnia Aponenſis opinioni ſuffragari uidentur, qui humidiorem hominis temperaturam in flatibus gignendis inculpabat. Attamen eiuſmodi Ariſtotelis autoritas noſtram minimè labefactat ſententiam, cùm ob caloris imbecillitatem illa contingant. Inde dicebat philoſophus inter orientes & occaſus minus uehementes & paucos generari flatus, cùm ob Solis lationem eò loci firmior ſit caliditas; ad Boream uerò & Auſtrum ob caloris infirmitatem vehementiores, ac multò plureis: quemadmodum item ex uiridibus lignis plurimus extollitur fumus, præ nimia uiridium ligno-

Marginalia: Prob. 48 — Sect. 10. — Obiectio. — Cap. 6. — Solutio. — Hominem calidiſſimũ atque humidiſſimũ. — Prob 7. — Cap. 2. — Cap. 10. — Sum. 2. — Cap. 1.

lignorum humiditate, igne propemodum ſuffocato: hinc itidem in ueris initio magis fremunt uenti, quàm in fine, uel intermedio, quia modica adhuc ſit caliditas. At in homine humiditas atque caliditas in æquilibrio ſunt, cùm ex communi medicorum conſenſu humanum corpus omnium temperatiſſimum ſit. Quare inſtantia contra nos adducta corruit. Flatuum generationem pluribus in locis do-
Cap. 2. cuit Gal. præſertim uerò in III. de Sympt. cauſis, ubi ob caloris imbe- De flatuum generatione digreſſio.
cillitatem atque impotentiam halituoſos ſpiritus in homine generari affirmauit: neque enim à uehementi frigiditate, neque à forti calore procreantur flatus: non quidem à uehementi frigore, cum illud neque alimentum attenuet, neque concoquat, neque diſſipet: non à potenti caliditate, cùm ipſa eſcam ualenter uincat. Quapropter Ariſt.
Sum. 2. loco nuper adducto lib. II Meteorol. memoriæ propagauit. *Vniuer-*
Cap. 2. *ſaliter autem fiunt tranquillitates propter duas cauſas: aut enim propter frigus, cùm extinguitur exhalatio, ueluti cùm fuerit gelu forte: aut cùm marceſcit à ſuffocatione, &c.* Vehemens igitur caliditas, ſicut & frigiditas, flatuum generationem prohibet, niſi alimentum fortaſſe flatuoſum extiterit: turbulentus enim tunc temporis generabitur ſpiritus. Quocirca halituoſorum ſpirituum efficiens cauſa erit caloris infirmitas, materia ſucci pituitoſi, & infimus uenter locus, ubi plerunq; fiunt. Veruntamen animaduertendum eſt, quòd flatus non modò à ſuccis pituitoſis (ut aſſertum eſt) ortum ducunt: ſed & à melancho-
Prob. 31 licis, cuius rei fidem facit Ariſto. qui ſect. IIII. Probl. monumentis conſignauit. *Cur libidinoſi ſunt, qui melancholici? An quòd flatu re-*
Super tex. 12. *dundant.* Quem quidem locum citauit Gal. com. III. in VI. de Morbis uulg. & approbaſſe uiſus eſt. Præterea Ariſt. necnon literis man-
Probl. 1 dauit ſect. XXX. Probl. *Et melancholici quoque magna ex parte libidine affluentiùs concitantur: concubitus enim flatus copia agitur, cuius indicium, quòd penis ex paruo citiſſimè in molem augeſcit inſignem: niſi enim flatus, non ita extumeſcere poteſt.* Amplius inter tres melancholiæ ſpecies
Cap. 7. connumeratur illa, quam ob flatuum redundantiam Gal. lib. III. de Locis aff. hypochondriacum, flatuoſumq; morbum nominauit, qui à ſanguine craſſo, ac melancholico in uentriculo, ſeu eius uaſis contento, pendet. Item flatuoſi ſpiritus neque in corporis concauitatibus tantummodo oriuntur, uti de aurium ſonitu conſpicuum eſt, pneumatocele, atque alijs eiuſmodi affectibus: ſed in cunctis partibus, quæ ob mollitiem dilatari, atque diſtendi poſſint, ſicut in palpitatione ſatis manifeſtum eſt. Attamen cùm ut plurimùm è pituitoſis ſuccis ſcaturiant flatus, atque potiſſimùm in humiliori uētre procreentur, præſertim quicunque ructu, uel crepitu eijciuntur: idcir-

co flatuoſorum ſpirituum materiam pituitoſos ſuccos eſſe, atque eorũdem receptaculum infimum uentrem exiſtere ſtatuimus. Putarem ego flatus in humano corpore ob intemperatam potiſſimum u-

Cur in homine flatus generẽtur.

ẽtus rationem generari, quæ plerunque in immoderata alimentorũ quantitate, atque indecenti qualitate committatur. Etenim Hippocrates lib. de Internis affect. hominem magis, quàm cætera animantia in recta uiuẽdi ratione delinquere teſtatur: cuius errores ad eſcę quantitatem, ac qualitatem lib. de Flatibus redegit. Conſueuerunt tamen quandoque medici ſolam nutrimentorum qualitatem deſcribentes, quantitatem ipſam ſilentio inuoluere, ut uidere eſt in epiſtola Dioclis Antigono Regi conſcripta: utpote quia illa difficiliùs, hæc autem faciliùs agnoſcatur. Nec eſt, ut quiſpiam obijciat, quòd dentur animalia ipſo homine multò uoraciora, quæ tamẽ haud ructent, cuiuſmodi ſunt canes, & alia id genus animalia: corporis nanque temperaturam halituum generationi aduerſantem ſortita ſunt. Ructus autem, quos edit homo, vel nidoroſi ſunt, vel acidi: hi ob indigeſta, illi uerò ob corrupta generantur alimenta. Inſuper cùm rectè ſolus incedat homo, ſolus etiam inter tot animalia ructat: nam cùm leues ſint flatus, ſublimiorem expoſcunt regionem, naturalique impetu quodam ad ſublime attolluntur: at in cæteris animãtibus, ſi halituoſi ſpiritus ad os migrarent, deſcenderent potius, cùm prona ſint. Nec datur ulla dubitandi anſa, quì fieri poſſit, ut copioſiores flatus plerunque ab homine per podicem detrudantur, quàm ructus. Quandoquidem eiuſmodi flatus à fæcibus in inteſtinis commorantibus ſæpius expirant, qui leui negocio ſubinde ob uiciniam per inferiorem aluum propulſantur. Quare tum ſpiritus halituoſi copia, tum corporis rectitudine ſolum hominem ructare contingit: cætera uerò animantia (ægrotante boue excepto) ructus nequaquam eijcere, tum ob rationes ab Ariſtotele adductas, tum etiam à nobis propoſitas. Quẽ admodum ſolus ructat homo, ita quoque ex quorundam recentiorum ſententia ſolus febre laborat: ſecus tamen alij iudicarunt, leonẽ ſæpius à febre teneri putantes, à qua ſanè unius paſtione ſimiæ liberari autumarunt ſacerdotes Aegyptij: capram itidem haud ab interrupta febre haberi, aſſiduaque lacerari exiſtimarunt. Inde ſcriptum reliquit Varro, quòd antiqui capram ementes, minimè de ipſius ualetudine ſoliciti eſſent, eam perpetua febre excruciari neutiquam ignorantes, & adagio illo datus fuit locus. *Sanus de ſana capra minimè quęrit.* Quamobrem Florentinus de Re ruſtica autor egregius, capram ſemper febricitare ait, ut ſi quando deficiat febris, intereat, eaq́ue de cauſa in eius uenditione dominum ſanitatem præſtare haud cogi:

Hominem in uiuendi norma delinquere.

An ſolus homo febre corripiatur.

Prob. 43 Sect. 10.

tantum

tantùm uerò ſufficere, ſi eam eo die bibiſſe comediſſeque profiteatur. Hæc tamen animalia perenni febre excruciari nullo pacto credendũ eſt: arbitrandum autem illa, cùm calidioris atque ſiccioris ſint temperaturæ, acri quodam, aculeatoque calore prædita eſſe. Siquidem inculpatas edunt actiones, quod firmiſſimum eſt apud medicos ſanitatis inditium. Litigant igitur neoterici an homo tantummodo febricitet, alij aiunt, alij negant: qui negant, omnia animalia corde donata, vel quapiam ipſi cordi proportione reſpondente, febre corripi affirmant: quinimmo nec animalia tantùm, ſed & plantas in febriculas incidere exiſtimarunt. Exiſtimandum tamen eſt, hominem & magis, & ſæpiùs quàm cætera animantia à febre haberi. Etenim cibi ac potus uarietate vtitur, quæ excrementorum generationi anſam præbet: aromatis epulas condit, quæ facilè accenduntur: uenereis nimium ſuccumbit illecebris, quæ naturales uires labefactant: uehementiores in eo concitantur animi perturbationes, quibus anxiè eius excruciatur animus: humidiorem atque calidiorem obtinet corporis temperaturam, quæ præ cæteris putredini obnoxia eſt: corporis humores atque ſpiritus ſortitus eſt tenuiores, qui extraneum calorem procliuiùs admittunt: poſtremò autem omnium animalium cùm delicatiſſimus ſit homo, citò alteratur: inde accidit, ut delicatiores promptius morbis conflictentur: quamobrem Mecęnatem illum, ſtudioſorum alumnum, totius uitæ curriculo indeficienti febre laboraſſe legitur. Verumenimuero cùm ex Ariſtotelis teſtimonio hominem præ cæteris animantibus & humidiſſimum, & calidiſſimum eſſe decretum fuerit, quiſpiam fortaſſe obijciet Græcorũ, atque Arabum medicorum autoritate munitus, qui ſanè omnes unanimi conſenſu ſtatuunt humanum corpus omnium temperatiſſimum. At rectè ſentit Ariſt. rectè ſentiunt & medici. Quandoquidem eo prorſus modo interpretandus eſt Stagirita, quo Hippocratem explanauerunt eius interpretes in 1. ſect. Aphor. ubi inquit. *Qui creſcunt habent plurimùm calidi innati.* Præſertimq; Gal. cùm abundè in ſuis commentarijs, tum verò copioſius in ſua aduerſus Lycum Apologia. Etenim iuuenes, atque ætate conſiſtentes tactu calidiores percipiũtur: ſuauiorem tamẽ ait eſſe, magiſque temperatam adoleſcentium caliditatem, iuuenum autem acriorem & mordaciorem: calor nãque cum humido fœderatus miteſcit, ueluti de aeris temperamento apud peripateticos conſtat: quæ humiditas caloris obtundit acrimoniam, neutiquam quia calori infenſa ſit, ſed quia pati magis quàm agere nata uideatur. Pueris igitur plurimùm calidi ineſt ſecundum ſubſtantiam, & ætate florentibus ſecundum qualitatem, at ſenibus parum ineſt calidi tum ſecundum

Cur ſæpius homo febricitet.

Inſtantia circa hominis temperaturam.

Solutio.

Aph. 14.

cundùm ſubſtantiam, tum penes qualitatem: ſubſtantia nanque calidi innati aerea eſt, & aquea, à ſemine & menſtruo ſanguine, noſtræ generationis principijs, emanans: aerea quippe ratione ſeminis, aquea autem menſtrui ſanguinis reſpectu. Vnde pueri plurimum calidi innati habent, utpote qui ab ipſa generatione minus diſtent: atqui cùm in dies magis ac magis noſtrum contabeſcat corpus, fiatq; ſiccum ac terreſtre, contingit, ut qui in ætatis uigore conſtiterint, extuberantem ſortiantur caloris acrimoniam, at ſenile corpus cùm aridum atque frigidum ſit, & parum calidi innati, & qualitatẽ caloris remiſſam obtinet. Quæ omnia, ut nobis deſeruiant, præſentique adaptentur negocio, dicamus humanum corpus eo modo calidum eſſe, atque humidum, quo uer calidum humidumque à nonnullis priſcis dicebatur, quos redarguit Gal. cum ipſum ſit maximè temperatum: & eo itẽ pacto, quo pueri calidi atque humidi nuncupantur, cùm tamen eorum corpus ἐυχρατὸν, idest bene temperatum exiſtat. Congruebat. n. humanam animam omnium formarum, quæ ſub Lunę cõcauo comprehendũtur, prętantiſſimam, in temperatiſſimo diuerſari hoſpitio, ut ſuis excellentioribus muneribus fungi ualeret. Quapropter exarauit Ariſt. lib. 1 1. de Anima, eos, qui molles carnes habent mente pollere: qui uerò duras, torpidos atque obtuſos exiſtere. Tex. 94. Cæterum cùm ſatis ſuperq; euagata fuerit oratio noſtra, iam ad ruminantia redeat, quibus cum pabulum à ſtomacho per gulam ad fauces retrocedere ſtatutum ſit, quiſpiam fortaſſe quærere poſſet, an eiuſmodi alimenti regreſſus naturalis an uiolentus ſit. Quandoquidem nec naturalis uidetur ob eſcæ grauitatem, nec uiolentus cum à natura cõparatus ſit. Perplexa quæſtio perplexè ſic ſoluatur, talis nutrimenti in ruminantibus ad os reditus, & naturalis & uiolentus motus exiſtit: naturalis ſanè, cum à naturali facultate adminiſtretur, uiolentus uerò ob alimẽti pondus. Quæ quidem ſolutio hoc pacto reflectetur, ſi dixerimus, ꝙ neque naturalis eſt iſte motus, neque uiolentus: naturalis profectò non erit iudicãdus ratione grauitatis mobilis, uiolentus uerò nequaquam cenſetur ratione facultatis operantis. Naturalis igitur, & uiolentus: non naturalis, non uiolentus: naturalis, non naturalis: uiolentus, non uiolentus erit eiuſmodi motus. Quod quidem excretioni etiam per uomitum factæ accommodari necnon poſſe uidetur, quæ & ipſa ab expultrice potentia naturali pendet, cuius munus eſt nocua abigere: in hoc tantum eſt diſcrimen, quòd in uomitu natura à re moleſta irritatur, in ruminatione nequaquam. Immo ſi accuratius rem ipſam perpenderimus, iſtum alimenti aſcenſum naturalem eſſe cognouerimus, ſi nutrimentum neutiquam uti ponderoſum & gra-

An alimenti regreſſus naturalis, violẽtusve ſit.

ue, ſed veluti nutrimentum animaduerterimus. Etenim nutrimentũ eſt, quod enutrire poteſt: at ruminãtia nequaquam nutriet pabulum, niſi ruminatione priùs læuigatum fuerit, quæ læuigatio fieri nequit, niſi ad os tanquam ad piſtrinum retroceſſerit paſtus. Hic itaque alimenti motus reſpectu item mobilis, naturalis nuncupandus erit. Quòd autem nutrimentum non ſit nutrimentum, niſi enutrire ualeat, Hippocrates lib. de Alimento manifeſtauit ijs verbis. *Alimentum non alimentum: ſi alere non poteſt nomine alimentum, re autem non: opus alimentum, nomen autem non.* Ex quibus uerbis exploratum habetur, alimentum, quod alere nequit, æquiuocè alimẽtum uocari. Hunc Hippocratis locum explanans Fracantianius impedimenta recenſet, quibus nutrimentum in aliti ſubſtantiam migrare nequeat, dicens: *Quòd verò non alat, quod ad alendum ſumitur, eſt vel ratione ſubſtantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vel ordinis, vel temporis, uel externorum.* Quibus alimenti impeditionibus hoc inſuper addi poterit in ruminantibus, pabulum ſcilicet nondum ruminatione mollitum: quam ſanè ruminantium alimenti conditionem, ſi ad qualitatem redigere voluerimus, erit qualitas paſtionis ruminantium propria. Inter cętera, quæ de ruminantibus ab Ariſtotele enarrãtur, hoc unum eſt, quòd ipſa maiori uoluptate afficiantur dum ruminant, quàm dum edunt: ſcriptum enim reliquit lib. IX. de Hiſtoria. *Animalia, quibus ruminare in more eſt, proficiunt, delectanturq́; non minus in ruminando, quàm edendo.* Qui ſanè loquendi modus prægnãs eſt, atque latentem uim quandam præ ſe fert: denotat nanque non parem modò voluptatem percipere in ruminando ruminantia, quin etiam multò maiorem. Quandoquidem guſtus alimentorum ſapores rudè mãſorum perfectè ſentire nequit, cuiuſmodi ea ſunt, quę ruminantibus priùs deuorantur: at pabulum ruminatione lęuigatum in arctiſſimos linguæ meatus ſe ipſum infarcit, quaſi rimas impleat: quamobrem tunc paſtionis ſapores guſtus inſtrumentum valentiùs feriunt, cùm pabuli nondum perfectè lacerati ſapores ſint quodammodo potentia guſtabiles, attenuati autem actu guſtabiles exiſtant: hincq; varij in ruminantibus voluptatis gradus ſcaturiunt à maiori, minorive paſtus attritione emanantes. Hac itidem ratione contingit, ut inciſa minutatim carne guſtus ipſe vehementiùs oblectetur: necnon illa, quę à coquis priuſquã coquatur acriter flagello percuſſa fuerit: atque etiam quæ animalis ſit, neutiquam recenter mactati. Guſtus nanque ſapores eiuſmodi carnium manifeſtius percipit, cùm profundius introducantur, atque arctiſſimos linguæ poros anguſtioreſq; meatus penetrent. Quocirca quicunque eſuriunt ſapidiores iudicant cibos, non ob cupiditatem

Nutrimenti impedimenta.

Circa finem.

Cur ruminantia ruminando magis oblectentur.

ſolum-

ſolummodo, quæ rem exoptatam iucundiorem reddat, quinimmo quia linguæ pori in eſurientibus inaniti ſint, qui dum tenuioribus alimenti portiunculis infarciuntur, maiorem animali inducunt voluptatem. Etenim animalis particulę à nutrimento inopes ab exilibus venis, quæ ob illarum anguſtiam capillares paſſim uocantur, ſanguinem protinus ſugunt, quibus venulis inanitis à maioribus vaſis ſanguis ſuppeditatur: hæ autem maiores uenę uacuæ cùm ſint, ab omnium maxima ſanguinem hauriunt, ob ſui amplitudinem caua nuncupata, cùm ſit cunctarum quaſi ſtipes, quæ ab epate ortum ducit, in cuius ſinu tanquam in proprio ſolo infigitur, eiuſq; radices ſunt uenæ per meſenterium diſperſæ, inteſtinis uentriculoq; finitimę, quarum extremitates puriores alimenti partes in ventriculo elaborati auidè ſugunt: at uentriculus, qui cæteris membris alimenta ſuggerit, ſi vacuus extiterit, cibum quaſi diuulſus exquirit: quæ quidem uentriculi appetentia ob ipſius ſenſum animalis fames à medicis nuncupatur, cùm altera, quę abſque ullo ſenſu in ſingulis fit partibus, naturalis uocari ſoleat. Cùm itaque naturali fame excruciatur animal, ſingulas corporis partes inanitas eſurienteſq; habeat neceſſe eſt: inde fit, ut linguę meatus cùm uacui ſint, per ipſos tenuiores alimentorũ particulæ permeare queant, atque ſtrenuè guſtus ſenſum commoue re. Sed ne nimio progreſſu noſtra flacceſcat oratio, receptui canentes, ruminantia animalia dicamus multò maiorem ruminando oblectationem præſentire, quàm in pabulo deuorando, cùm ob maiorem paſtionis tenuitatem magis linguæ referciantur meatus, & eò magis ſi famis acerbitate infeſtentur. Ruminantia ergo ad fauces paſtum egurgitare ſatis ſuperque comprobatum ſit.

Duplex fames.

SYNTAGMATIS SECVNDI, FINIS.

DE

# DE CORNIBVS,

## SYNTAGMA TERTIVM.

RVMINANTIVM varias ſpecies, ac diuerſa genera natura procreauit. Etenim alia utranque maxillam obtuſis dentibus refertam obtinent, in quibus nulla conſpicitur acies: alia verò ſuperiorem inciſoriis dentibus uacantem geſtant, quorum alia cornibus donata, alia deſtituta ſunt. De cornigeris priùs, ſubinde de ijs, quæ & cornibus, & dentibus orbata ſunt, atque de dentatis poſtremò à nobis habendus erit ſermo. Cùm igitur de cornigeris diſputaturi ſimus, operæprecium erit de cornibus priùs diſſerere. Cornua quandoq; propriè, & quandoque metaphoricè capiuntur: cornua propriè ſumpta ſunt beluarum arma fronti infixa, uel naribus adnata: at cornua per translationem accepta, multifariam recipiuntur. Luna nanque cùm falcis ſpeciem præſeferat, poſt ſuam cum Sole copulam, tunc eius fulgentes extremitates, atque curuos angulos, cornua appellat uniuerſus poëtarum chorus, illaq; ob argentei candoris ſpeciem argentea nuncupat: vnde Luna paſſim cornuta dicitur. Amnium quoq; curuitates atque alueorum flexus, cornua nominantur: quòd ſcilicet cornuum inſtar flectantur. Hinc pictores flumina cornigera, & tauriformia pinxerunt, & poëtæ finxerunt. Verg. lib. IIII. Georg. Cornua metaphoricè ſumpta.

*Et gemina auratus taurino cornua vultu*
*Eridanus*. Valer. Flaccus lib. I. Argon.
*Elatis cornibus amnes*. Et lib. VI.
*Terrificis undans cornibus Hebrus*.

Nec

Nec ſolummodo poëtæ, ſed & Cicero lib. IX. Epiſt. ad Atticum, ſic metaphoricè cornua ſumpſit. *Ab utroque portus cornu moles iacimus.* Quod etiam Suetonij Tranquilli hiſtoria comprobari poſſe uidetur, quippe qui ſcripſerit Epidium rhetorem prædicare ſolitum, ſe à C. Epidio ortum fuiſſe, quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis ſecuri, paulò poſt cum cornibus extitiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe, in numeroq; Deorum habitum. Prominentibus itaque cornibus flumina figurabant ueteres, uel ob hiſtoriam nuperrimè recitatam, uel ob flexuoſos eorum lapſus, uel propter mugitum & taurorum inſtar atrocitatem. Item per antennarum cornua utraque antennæ pars intelligitur. Verg. lib. III. Æneid.

*Cornua velatarum obuertimus antennarum.*

Similiter in exercitu dextra pars dextrum cornu, ſiniſtra ſiniſtrum cornu nuncupatur. Terentius in Eunucho Act. 4. Scen. 7.

*In medium huc agmen cum vecti, Donax:*
*Tu Simalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dextrum.*

Amplius cornu genus eſt tubæ obtortæ, à quo cornicines dicti ſunt: quia quod nunc ex ære eſt, fiebat olim bubulo cornu. Verg. lib. VIII. Aeneid.

*Rauco ſtrepuerunt cornua cantu.*

Veteres cyathis corneis vſos. Necnon cornu poculum ſignificat: ueteres enim cornibus bibebant: quamobrem Indiæ Reges pateris ex cornu fabrefactis, & priſcos poculis cornu modo cœlatis uſos fuiſſe legitur. Cæſar Bel. Gal. lib. VI. de feris loquens, quæ in Hercynia ſylua naſcuntur, de uris beluis meminit, de quibus inter cætera hæc prodidit. *Amplitudo cornuum, & figura, & ſpecies multùm à noſtrorum boum cornibus differt: hæc ſtudioſè conquiſita, ab labris argento circuncludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.* Plinius lib. XI. *Vrorum cornibus barbari ſeptentrionales potant.* Cap. 37. Apud Athenæum, & Nicandri in Alexiphar. interpretem legitur, ueteres bouis cornu pro poculo uſos fuiſſe. Inde factum eſt, ut cornutus Bacchus à Nicandro diceretur, & Cur cornutus Bacchus ab Orpheo in Hymnis βουκέρως, & δικέρως uocaretur, ideſt bucerus, & bicornis. Hinc itidem Græcorum pleriq; Dionyſium tauriformem, tauricipitem, tauricornem, & bugenem effingebant, appellabant, colebant: in Cyzico nanque tauriformis colebatur Bacchus, & ab Argiuis βουγενής, hoc eſt boue genitus: cui ſanè conſonat, quod Ouidius cecinit.

*Accedant capiti cornua, Bacchus eris.*

Diodorus tamen cornua Baccho ideò attributa fuiſſe tradit lib. V. quia primus ipſe boues iugo iunxerit, & Bacchus idem ſit, & Oſiris:

uerum

uerùm lib. IIII. Dionyſium cornutum prodiderat, quòd Ammonis filius fuerit, quippe qui arietinum caput cum cornibus habuerit. Bacchum cornutum fuiſſe formatum exiſtimauit Phurnutus, quòd audaces uinum faciat: cornua enim pro audacia capiuntur. Ouidius in Arte amatoria.

*Tunc pauper cornua ſumit.*

Porphirio ſcribit lib. II. Carm. Horatij. *Cornua Libero patri, & nonnullis aliis aſſignantur, quoniam ſcilicet vinolentia proteruitatem, & contumaciam addere ſolet, quę per cornua ſignificaretur.* Feſtus. *Cornua liberi patris ſimulacro adiiciuntur, quem inuentorem uini dicunt: eò quòd homines nimio uino truces fiant.* Proinde Bacchæ mulieres, utpote Liberum patrem imitantes, cornua ferrent, Mimallones nuncupatæ fuerunt. Vnde Perſius.

Saty. 1. *Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.*

Hæ quoque Ogyrides, & Baſſarides, & Thyades uocatæ ſunt. Bacchus inſuper ταυροφάγος nuncupatus fuit: nam dithyrambici carminis præmium erat taurus: quinimmo etiam taurus dictus eſt. Diana item à cornuum figura ταυροπὸς, & eadem ταυροπέλος appellabatur: quin & Pallas ταυροπόλα dicta, & apud Andrios ταυροπόλος.

Synt. 7 Lilius Gregorius Gyraldus lib. de Hiſtoria Deorum, antiquos cornibus bibiſſe comprobare ſie nixus eſt. *Illud etiamnum indicio eſſe poteſt, quòd Græci κεράσαι dicunt miſcere, videlicet à cornu uocabulum deflexum: & κρατήρ, quaſi κεράτηρ, à κερας quod cornu ſignificat.* Inſuper ſunt qui cornua concinnas comas ſignificare uelint, quas Græci κέραλα nominant: unde & κείρειν tondere dicunt, hocq; Vergilij autoritate comprobant, qui lib. XII. Aeneid. cecinit.

*Et rubræ cornua criſtæ.* Hoc eſt comæ.

Iiſce cornibus Lyſimachus Rex in eius nomiſmatibus impreſſus cernebatur. Armenos necnon ſacerdotes, ac Lydos cum eiuſmodi concinnis nonnunquam conſpicimus. Apud Homerum quoque, & Sophoclem cornua comas deſignant concinnas, quos ſecutus Iuuenalis dixit.

Saty. 13. *Et madido torquentem cornua cirro.*

Ampliùs ambos uteri angulos, ac ueluti papillas, uaſorum muliebre ſemen deferentium inſertionem recipientes, à Diocle cornua appellari certum eſt, ut refert Gal. lib. de Diſſect. vuluæ: quippe qui ob
Cap. 3. ſuperioris uteri partis utrobique extuberantiam, naſcentibus boum
Cap. 1. cornibus ſimiles ſint: immo ipſemet Ariſt. lib. III. de Hiſtoria, uuluarum extremitates cornua uocari teſtatus eſt, per quas vuluæ ſemen ex teſtibus attrahunt, uti inferius per ceruicem: hinc etiam per in-

H ſomnia

ſomnia, citra uiri congreſſum, ſemen in uterum mulieres excernere, & hoc inibi contabeſcens, morbos parere maximos, animaduertebat Andernacus in ſuis Inſtitutionibus anat. quibuſmet cornibus firmatur uterus. Principis item Venetiarum diadema cornu uocare conſueuerunt. Alia plura metaphoricè cornua ſignificare poterunt: ſed quæſo cornua propriè ſumpta aggrediamur, à quibus animalia cornibus armata cornigera nuncupantur. Cornuum materia uel eſt remota, uel propinqua, uel magis propinqua. De materia remota locutus eſt Ariſt. lib. 11. de Generat. animal. *Sed vngues, pili, cornua, roſtra auium, & calcaria, & ſi quid eiuſmodi aliud eſt, ex cibo gignuntur aduentitio, & auctiuo, quem tum à fœmina, tum deforis ſibi acquirunt.* Cornuum itaque materia remota eſt cibus aduentitius, quem eo in loco Philoponus interpretatur alimenti excrementum. Siquidem Ariſt. ibi naturæ ſolertiam animaduertens, eam prudenti patrifamilias appoſitè comparauit, qui optimis cibis, ueluti ſiligine liberos alit: deterioribus, uti farina, ſeruos: viliſſimis, ſicut furfure, animalia, quæ ob contubernium ſocia nuncupauit, cuiuſmodi ſunt Gallinæ, & ſues: ſic quoq; naturam ipſam in animalis fabrica ædificanda ex puriori materia, ſenſuum organa conſtruxiſſe, ex minus pura oſſa, & ex impuriori adhuc pilos, roſtra, cornua, & id genus alia molitam fuiſſe affirmauit Ariſt. Cornuum materiam non ſolùm aduentitium cibum uocauit philoſophus, quinimmo & auctiuum, fortaſſe, quia (ut ibidem ait) duplex ſit alimẽti ratio, altera nimirum nutriendi, altera uerò augendi: ſcriptumque reliquit lib. II. de Anima, quòd alimentum ſecundum quod eſt hoc aliquid & ſubſtantia nutrit, & ſecundum quod eſt quantum, auget: præter quas duas nutrimenti vtilitates, datur & tertia, ſeminis ſcilicet procreatio propagationi deſtinata. Cornuum igitur materiam nuncupauit Ariſt. cibum auctiuum, duplicem eiuſmodi materiei innuens uſum: quia cùm augeat, nutriat necnon prius neceſſe ſit. Aduentitium autem nominauit, hoc eſt excrementitium. Siquidem ex alimentorum procreantur, & nutriuntur excrementis partes illæ omnes ab Ariſtotele ibidẽ enumeratæ: ſi modò hæc partes nuncupari liceat, cùm Gal. lib. Artis med. à numero partium ea omnia exploſerit, quorum nullum regimen ſit, ſed tantummodo generatio. Verumenimuero occurrit difficultas, lib. nanq; II. de Generat. animal. præcitato loco aſſerebat Ariſto. cornuum materiam, & id genus aliorum tum à matre, tum deforis ſubminiſtrari: dubitandique ratio talis ſit, ſi cornua in cornigeris non erumpunt, niſi poſteaquam in lucem edita fuerint, quì fieri poterit, ut à matre materia ſuppeditari poſſit? Niſi forſitan cornuum primor-

Triplicem eſſe cornuũ materiam.

De materia cornuum remota.

Cap. 4.

Tex. 74

Cap. 9.

Cap. 4.

Inſtantia.

Solutio.

primordia, ac tanquam ſemina in matris vtero cornigeris innata, inſitaque eſſe dixerimus: quemadmodum quoque & dentium radices in fœtus gingiuis, intra uuluæ clauſtra adhuc moratis, in propriis alueolis plerunque latitare conſueuerunt. Amplius negocium faceſſit maximum, an eademmet augendi uis ſit, quæ in iunioribus ſpectatur animalibus, dum maiorem corporis molem adipiſcuntur, & quæ in cornibus, pilis, vnguibus, auium roſtris, atque calcaribus ineſt. Equidem (vt quid ſentiam fatear) neutiquam mihi eandem facultatem eſſe uidetur. Quandoquidem ex alimento animalia augentur: at enumeratæ partes ex recremento. Animalia inſuper omnia ſtatum atque præfinitum ſuæ habent auctionis tempus, in quo debitam corporis molem acquirunt, & quo tranſacto augendi facultas omnino otiatur: quinimmo in ſenectute cum reliquo corpore & mẽbris comminui oſſa iudicauit Ariſt. loco præallegato, cui ſic conſentit Dauid. *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt*. At partes illæ per totum uitæ curriculum augeſcunt, nec ullam excludunt ætatem, vllumve tempus excipiunt, in quibus non adaugeſcant: atque in ipſamet ſenectute non modò comminuuntur, immo magis ac magis creſcunt: extremo tantum ſenio excepto, in quo ſanè cùm permutari nequeat alimentum, nequit etiam excrementũ fieri, quod illis partibus nutrimentum ſuggerat. Animalia ſana melius augeſcunt, quàm ęgra: cunctę enim animæ uires ob ęgritudinem langueſcunt, præſertimque ipſa nutritio flacceſcit, auctioni uſque adeò neceſſaria. At enumeratæ partes ualentius adaugeſcunt, dum animantia ægrotant. Huiuſce rei teſtem appello Ariſtotelem, qui loco ſæpius adducto, hæc ſcriptis commendauit. *Pili autem, & eorum cognata omnia, quandiu inſunt, tandiu augentur: & magis cùm corpora aut ægrotant, aut ſeneſcunt, atque decreſcunt. Quoniam plus excrementi tantiſper remanet, cùm minus in partes præcipuas conſumatur propter ſenium, aut morbum*. Iiſce itaque argumentationibus harum duarũ augendi uirium diſſimilitudo demonſtrari poterit. Illæ animæ facultates, quæ diuerſa habent obiecta, inter ſe diſtinguuntur: ſed duæ illæ iam dictæ adaugendi uires diuerſa habent obiecta, inuicem ergo diſtinguantur, neceſſe eſt. Maior nota eſt ex ijs, quæ ſcripſit Ariſto. in II. de Anima, ubi uult, quòd potentiæ diſpares, diſpares obeãt operationes, & quòd diſtantes operationes circa diſſimilia uerſentur obiecta. Quare ex obiectorum diſſonantia, facultatum diſſimilitudo coniectari licet. Minor item manifeſta eſt, altera enim auctio ex alimento conficitur, altera uerò ex alimenti recremento: at alimentum, & alimenti recrementum, ut ſanguis & lotium, ualde differunt.

[Margin notes: An duæ augendi uires ſint. — Lib. 2. de Gen. ani. c. 4. — Pſ. 101. — Lib. 2. de Gen. animal. cap. 4. — Rationes, quibus duas augendi uires eſſe oſtenditur. Prima ratio — Tex. 83.]

Secunda ratio.

Inſuper illæ potentiæ, quarum altera in alia longè impari ætate magis operatur, inuicem diſcriminantur: at duæ illę auctrices uires ſunt huiuſmodi. ergo. Maior neutiquam uidetur probatione egere, diſiunctę nanque auctiones ex diſiunctis ſcatent potentijs. Minor item clara, cùm Ariſt. dixerit pilos atque alia eiuſmodi, decreſcente corpore magis adaugeſcere. Adhuc illæ animæ facultates diſpariles ſunt, quæ in repugnantibus corporis animalis affectibus firmius agunt: at illæ duæ auctrices uires, in contrarijs animantis affectibus, robuſtius exercentur, diſſimiles ergo. Maiorem ob ſui claritatem haud confirmabo. Minor item nota, in bona nanque ualetudine multò melius quàm in mala adaugetur corpus: licet ob corporis maciem ſecus quandoque iudicet ſenſus uulgaris: vel ſi reapſa augeſcat quandoque, hoc accubitus potius quàm ægritudinis ratione cõtingere arbitrãdum eſt, cùm talis corporis ſitus auctricem laceſſat facultatem, ipſa ſcilicet membrorum extenſione. At pili & id genus alia in aduerſa ualetudine ſecundum Ariſtotelem magis creſcunt. Sequitur itaque, quòd diſſimiles ſint eiuſmodi potentiæ auctrices. Amplius illæ animæ uires, quæ longè diſſimilia ſibi determinant ſubiecta, uariæ ſunt: at illæ longè diuerſa ſibi determinant ſubiecta, ergo. Nam (ut maiorem tanquam manifeſtam relinquamus) minor hoc pacto corroboratur. Quandoquidem altera auctio in propriè dictis partibus inſita eſt, altera uerò in ijs ſpectatur, quæ additamenta potius exiſtunt, quàm ueræ ac legitimæ partes: eiuſmodi ſunt pili, ungues, roſtra, calcaria, atque id genus alia. Alia itidem argumentatione harum duarum uirium diſſimilitudinem aſtruere poterimus. Etenim ijs, qui uitam cum morte commutauerint, nec anima, nec vllum animæ ueſtigium ineſt: attamen mortuorum pili adaugentur, ut teſtatus eſt Ariſt. quamuis oriri nequeant ob mortis gelu: cui ipſa etiam adſtipulatur experientia. Mortuorum item ungues augeſcere feruntur, quorum quidem auctionem putridam vocauit Philoponus in procemio lib. de Anima: eiuſmodi nanque auctio à putredinis calore in ijs, qui ex hac uita migrauerint, adminiſtratur, quaſi naturalis caloris æmulus exiſtat, ſtellarum elemento proportione reſpondentis, vt prodidit Ariſt. lib. II. de Gen. animal. vbi vult, quòd in ſemine, ſpumoſo corpore, ſpiritus contineatur, in quo ſpiritu inhęreat hæc quaſi cœleſtis natura. Opinatus verò eſt Plotinus lib. II. de Dubijs animæ, pilos atque ungues ideò in defunctis augeri, quia poſt interitum per aliquod temporis ſpatium, quodpiam uitæ ueſtigium in cadauere perſeueret, quod ad pilos procreandos efficax ſit: perinde ac uideamus poſt ignis receſſum calorem, ubi incendium fuerit, adhuc ſeruari.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Lib. 2. de Gen. animal. cap. 4.

Cap. 8.

ſeruari. Alexander tamen, ſiue Aphrodiſienſis fuerit, ſiue Trallianus, veluti Antonius Marius Cananus, atque Mercurialis, tam emũctæ naris uiri iudicarunt, aliam & probabiliorem ſanè adducit rationem lib. 1. Probl. inquiens, quòd re uera uita functorum pili & ungues non accreſcunt: ſed marceſcente carne tum pilorum, tum unguium partes uſq; ad radices excarnificatas ſeſe manifeſtare affirmauit: ex quo fit, ut longiores appareant. Mercurialis lib. 1. de Morbis cutaneis, Alexandri ſententiam amplexus Plotini opinionem repudiauit. Siquidem recedente anima (ut ait ipſe) nihil animæ ipſius facultatum in corpore remanet: ſicuti etiam abeunte Sole & radij & lumen illico obeunt. cùm morientis corporis reſolutio fiat uſq; ad materiam primam: refellensq; Plotini ſolutionem inquit, quòd ad pilorum accretionem neceſſariò requiritur uis expultrix, quę in mortuis dubio procul euanuit corporibus. Attamen putarem ego (cùm nemini præcluſus ſit philoſophandi aditus) eiuſmodi expultricem facultatem in cadaueribus commorantem, nequaquam illam eſſe, quæ caloris naturalis miniſterio ſuas in uiuente corpore moliebatur functiones, ſed aliam exiſtere, quæ putridi caloris ope operetur: non ſecus ac in putreſcentibus corporibus ſitum effloreſcere, lanuginis inſtar, cernimus. Cæterùm cùm duas in animalibus augendi uires animaduerterimus, duas quoque in arboribus ſpectari haud erit reticendũ: quod ut planius intelligatur, ſciẽdum eſt, quòd quemadmodum animalia ſeptem habent ætates, in quas totum eorum uitæ curriculum diſtribuitur, ita etiam & quodammodo arbores: in ijs nanque quaſi infantia cernitur, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, conſiſtentia, quæ tum à medicis, tum ab Ariſtotele conceditur lib. de Iuuentute & Senectute &c. in arboribus tandem ſenectus prima & ultimum ſenium ſpectatur: hac enim ſerie tota arborum uita extenditur, ut prius ſint germina, quaſi infantulæ: protinus ſubfrutices, quaſi puerulæ: mox frutices, quaſi adoleſcentulæ: inde arbores, cùm ad perfectam quandam magnitudinem peruenerint, in quibus conſpicitur iuuentus cũ aliqua accretione, conſiſtentia, & utræque ſenectutes, quarum poſtremam Ariſt. loco nuper adducto in plantis ariditatem uocauit. Rami illi, in quos diſperguntur arbores, dum adhuc ſubfrutices ſunt, tandiu augeſcunt, quàm diu & ſtipes: noui autem illi rami, qui à primis propagantur trunco contiguis, augentur etiam poſteaquam & ſtipes & priores rami iam in auctionis opere ceſſauerint. Quare dico, quòd uis accreſcendi ſtipitis, & priorum ramorum una numero eſt iudicãda, ab ea tamen diuerſa, quæ iunioribus ramis inſita eſt: cuius ſanè diuerſitatis hoc ſit inditium, immo & ſatis firmum argumentum, quia

iuniores

Marginal notes: Proble. 145. — Cap. 8. — Duas in arboribus eſſe accretionis uires. — Arborum ætates. — Cap. 14.

iuniores rami arboris eſſentiales partes minimè ſint. Siquidem ſi ar-
boris eſſentiales partes exiſterent, eadem numero arbor neutiquam
perſeueraret: putatores enim arborum ramos amputant, quibus reci-
ſis alij noui ſuggeruntur: atqui interemptis cuiuſque rei eſſentiali-
bus partibus, & alijs earum loco ſubſtitutis, corrumpatur ipſa neceſ-
ſe eſt. Nil mirum itaque, quòd iuniores illi rami minimè augeſcen
te ſtipite augeſcant, cùm numero diſtinctæ accreſcendi uirtutes huic
atque illis innatæ ſint: quæ adaugendi uirium diuerſitas clarius in va
rie inſertis arboribus apparet, quas uarios edere fructus conſpici-
mus, ut alius ramus pira proferat, alius mala, alius ceraſa, & alius

Cur ſapidiores ſint inſertorũ fructus.

alios procreet fructus, prout diuerſi ſurculi conglutinati fuerint, qui
quidem arboris trunco atque prioribus ramis inhærent, tanquã pro
prio ſolo: inde contingit, ut ſapidiores edant fructus, quia magis ela-
boratum exhauriant ſuccum. Porrò coniectandum eſt, an cornua,
pili, ungues, auium roſtra, & calcaria propriè adaugeſcant: an ſcili-
cet in earum accretione illæ ſeruentur dotes, quas neceſſarias Ariſto.

Accretionis cõditiones.

cenſuit lib. I. de Ortu & Interitu. Prima accretionis conditio eſt, Tex. 83
quòd quælibet pars eius, quod augeſcit, augeſcat. Altera, quòd extrin
ſecus aliquo adueniente accretio fiat. Tertia uerò, quod accreſcit
permaneat. Cornua quippe, auium roſtra, atque calcaria haſce tres

Vngues & pilos impropriè accreſcere ſunt.

accretionis proprietates retinent: at ungues, & pili penes ſolam lon-
gitudinem augeſcunt, nequaquam autem ſecundum latitudinem, al
titudinemque ſemper in maiorem attolluntur molem, ſed ſolummo
do cum & reliquę corporis partes in molliori ætate adaugentur. Ne
que item prorſus tertia accretionis circunſtantia ſeruatur: nouæ nan
que unguium, atque recentiores pilorum partes abiiciunt vetuſtio-
res: indeque per recentiorum partium additionem, & uetuſtiorum
expulſionem, maiorem conſequuntur longitudinem ungues atque
pili. Proinde Auerroes lib. IIII. Phyſicorum, & in I. de Cœlo, eiuſ com. 63
modi incrementum, additamentum potius eſſe, quàm uerum ac le- com. 22
gitimum augumentum arbitratus eſt: non ſecus ac obeſa animantia
adaucta iudicantur. De unguium pilorumque accretione Fernellius
Ambianus lib. I. ſuę Phyſiologię diſſerens, hęc literis conſecrauit. Cap. 15
*E ſummis digitis ungues emergunt, tanquam clauſulæ eorum tendonum,
qui ad extremos digitos deſinunt: ab ijs enim excrementi & eluuiei quid-
dam ſemper emanat, quod in unguium radices confluens, materia fit illis
perpetuò augeſcentibus.* Et mox de pilis diſputans ſubdit. *Sic pilis ex
craſſiore et fuliginoſa humorum alluuie ortus ducitur, quæ per anguſta cu
tis ſpiracula, tanquam foras propulſa, impacta hęret in tranſitu, vt non ſpon
te vacuari poſſit: ſed alia rurſum è profundo ſublata hanc ferit impellitq́,*

*tunc*

*tunc hanc rurſus alia, & multo tempore coniunctæ, aliæq́; ſuper alias impactæ, corpus quoddam reddunt & conformant ex tranſitus anguſtia ſtipatum, quod denique à ſui ſimili eluuie vehementer ictum foras propellitur, iam ueri pili formam adeptum, huncq́; in modum quaſi ſuccreſcendo ſemper augeſcit*. Circa vnguium, pilorumque continuam accretionem, illud commonefaciendum eſt, pilos & ungues, niſi tondantur, perpetuò adaugeri minimè poſſe: cùm enim longitudinem quandam præfinitam adepti fuerint ungues atq; pili, ab auctione omnino ceſſant: quod quidem de mulierum capillis ſatis conſpicuum eſt: ad calcem enim & ultra etiam muliebres comæ porrigerentur, niſi longitudinis terminus ipſis eſſet ſtatutus. Quocirca ſi ungues ad uiuū reſecentur, neruoſa excrementa prōptius excernuntur, & ſi caput monacorū more ad cutem tondatur identidem, fuliginoſa recrementa leuiori negocio foras abiguntur, cùm unguium pilorumq; inciſio expultricem facultatem irritet, atque peruellat: ſin uerò ungues atque pili nunquam tondantur, expultrix uirtus tandem grauata nequit ampliùs tātam unguium, pilorumq; longitudinem propulſare. Hinc neotericorum uſus comas tondendi magnopere laudandus eſt. Cornuum proxima materia eſt terreſtre alimenti excrementum. Etenim cornua ex terreno principiorum genere confecta ſunt, ex Galeno lib. IX. de ſimplici medicina. Inde accidit, ut cornigera plerunq; grandiora ſint, cùm maioribus animalibus maior inſit terrenæ ſubſtantiæ copia, uti Ariſt. in III. de Partibus, ijſce uerbis memoriæ prodidit. *Primò igitur plus corpulenti, terreniq́; in animalibus grandioribus ineſt: cornigerorum autem nullum admodum paruum eſſe nouimus. Omnium enim quæ explorata habemus minimum caprea eſt. &c.* Omnia uiuentia ex ijſdem, ex quibus conſtant, nutriuntur: conſtant autem ex quatuor elementis, nutriantur ergo ex illis neceſſe eſt: atqui cùm in eis miſta atque confuſa ſint, ex miſtis etiam alimenta petant opus eſt. Verùm quamuis nonnullas plantas in lacubus, paludibus, & aquis ſtagnantibus, oriri, nutriri, augeſcere, floresq; & folia & ramuſculos & tandem ſemina edere cernamus: cuiuſmodi eſt utraque nymphea, alba ſcilicet atque lutea, quæ cùm aquoſis gaudeant locis eiuſmodi nomen ſibi uendicauerunt, ex Dioſcoridis ſententia lib. III. Attamen illa aqua minimè ſimplex ac purum ab omniq; miſtione liberatum elementum exiſtit. Mulieres quoque noſtræ ocimum quandoque in uitreis phialis cuſtodiunt, in quibus aqua nutritur, augetur, atque effloreſcit: ubi naturæ ſolertiam in eius radicibus propagandis & conſpicimus, & admiramur. Cornigera itaque ex quatuor nutriantur elementis oportet: hinc emergunt quatuor excrementorum genera

Quandoq. vngues & pilos non augeſcere.

Proxima cornuum materia.

Ad initium.

Cap. 2.

Viuentia ex ſimplici haud nutriri elemento.

Ca. 131.

Quatuor eſſe excremētorū genera

ra elementis proportione reſpondentia. Non enim eſt reperire eſcam adeò lectam & exquiſitam, ob miſtorum diſſonantiam, ut cuncta prorſus in nutriti ſubſtantiam migret. Quocirca exiſtimandum eſt nullum eſſe cibum, qui humanum corpus melius enutriat, & cuius pauciora relinquantur excrementa (licet uictus omnino ferinus ſit) ipſa nempe humana carne, qua olim antiquiſſimi circa Pontum Scythę, ab hac feritate Antropophagi nuncupati, ueſcebantur: & nunc Cannibali noui orbis incolæ humanam carnem truculenter liguriunt. Quippe literis mandauit Ariſt. lib. II. de Ortu & Interitu, quòd in habentibus cognationem facilis eſt tranſmigratio. Et in II. de Anima tanquam arbiter litium antiquorum conſtitutus aſſeuerauit, quòd alimentum inconcoctum eſt contrarium, concoctum verò ſimile. Quapropter iecur iecore, cerebrum cerebro, & cor corde ob eiuſmodi affinitatem promptius & melius enutriri credendum eſt. Hac forſitan ratione ab ijs, qui medicinam faciunt excogitatus fuit mumiæ uſus: mumia uerò fit, cùm Iudaico more cadauera aloë, myrrha, ac etiam balſamo commiſtis infarciũtur, quę omnia temporis tractu legitimam præbent mumiam, de qua ſermonem faciens Serapio affirmauit, quòd ſepulcrorum mumia è myrrha aloe aliisq; conflatur, ſuperaddita necnon humiditate, quam humana corpora exudant. Spuria autem conficitur, cùm aſphalto pice miſto, uel piſſaſphalto corpora replentur. Mumiam inquiunt medici, plurimis & ijs quidem atrocibus morbis opitulari: quod non modò ab eius manifeſtis qualitatibus prouenire credendum eſt, quinetiam ab ipſa humanæ carnis cognatione: ſicuti item humanum craneum in puluerem redactum comitiali morbo laborantibus opitulari circumfertur, & alia quoque oſſa uariis mederi languoribus, ſi os ſuum cuilibet aſcribatur membro. Nec propterea corruit celebre illud axioma toties in medicina decantatum, quòd ſcilicet contraria contrariis curentur: directè nanque contraria contrariis fugantur: indirectè autem necnon ſimilibus propulſantur. Etenim languentia membra ſimilibus recreantur, quorum facultates corroboratæ ad arcendum morbum ualentius inſurgunt. Nec ſolum ſæuus uorandę carnis uſus apud barbaros, & exteras gentes receptus fuit, quinimmo recentioribus annis in medio Italiæ ſinu, ac frequentiori eius regione, inuenta eſt uirorum mulierumq; multitudo adeò efferata immanis atque truculentiſſima, ut carnem helluaretur humanam, ut intolerabili liguritione eius ſanguinem abſorberet, de quorum feritate Ioannes Franciſcus Picus in III. de Strige commemorauit. Philoſtratus dæmones humani ſanguinis auidiſſimos reperiri opinatus eſt, quos à nonnul-

Humanam carnem maximè enutrire.

Tex. 25.

Tex. 45.

Quomodo mumiæ uſus introductus

Quomodo curatio fiat per conſimilia.

Dæmones humani ſanguinis auidos.

nonnullis Lamias & Lemures nuncupari teſtatus eſt, hosq́; amore & libidinis incendio excandeſcere, ſimulatisq́; blanditiis formoſos allicere, ut immani helluatione truculenter eos dein deuorent. Iudas Apoſtolus beatus in Epiſtola, hæc memoriæ mandauit. *Similiter & hi, qui carnem quidem maculant*. Quæ uerba aliqui de dęmonibus intelligenda eſſe putarunt: ſed gloſſa communis hæreticis aſcripſit, & interlinearis de damnandis interpretata eſt: & per maculare carnem ſodomiæ uitium expoſuerunt. Verum ne ab inſtituto noſtro nimium recedamus, humanam carnem recremẽtis haud redundare aſſeueremus: & ut reuertamur, unde digreſſi ſumus, eam dicamus plurimùm homines enutrire. Cùm igitur quatuor ſint excrementorum genera, elementis proportione reſpondentia, terrena ſcilicet, aquea, aerea, atque ignea: inter terrena ſunt recenſenda fæces, ac totius corporis ſordes: inter aquea lotium, narium & oris humiditas, atq; ſudor: aerea autem ac ignea recremẽta ob tenuitatem uiſum effugientia per inſenſibilem pororum euaneſcunt tranſpirationem. Veruntamen pleriq; flauas illas & amaras ſordes, quæ intra coclearia aurium foramina coaceruantur, ad igneum retulerunt recrementum. Nam cùm quatuor minoris mundi humores cum maioris mundi elementis conſentiant, flaua nimirum bilis cum igne, ſanguis purus atq; ſyncerus cum aere, pituita cum aqua, & ſuccus melancholicus cum terra, conſequitur profectò, ut aurium ſordes ad ignea excrementa redigantur, quippe quæ bilioſæ ſint, bilisq́; ex cõmuni medicorum ſententia ignis elementum ſapiat. Quoniam verò eiuſmodi aurium fœces craſſæ ſunt atque fœculentæ, licet quatenus ad qualitates attinet, bilioſæ uideantur: ratione tamen earum ſubſtantiæ terreſtres potius cenſeantur, neceſſe eſt. Amarus autem ille ſuccus, qui in bilis folliculo coaceruatur, conſiſtentiæ ratione aqueũ excrementum nuncupari poterit. Magis propinqua cornuum materia eſt excrementum alimenti oſſeum, atq; neruoſum. Quòd ſit oſſeũ Ariſtotelis patefacit autoritas lib. II. de Partibus, ubi ſcribitur. *Proximas eſſe oſſibus partes, oſtendit tactus etiam illas, ungues, ungulas tum ſolidas, tum biſulcas, cornua, roſtra auium: quæ omnia præſidij gratia adiuncta ſunt animalibus*. Sed enim animaduertendum eſt, quòd hæc naturalia animalium arma, oſſea neutiquam, at oſſibus propinqua uocauit Ariſt. Siquidem eorum ſubſtantia haud ſimpliciter oſſea exiſtit, uerùm & neruoſa: & ut de cornibus loquamur, ea dicamus, cùm ex cute germinentur, atq; ex illius item enutriantur recrementis præter oſſeam, ex neruoſa quoque ſubſtantia procreari, cùm ſubſtantiam neruoſam oleat cutis, à qua deriuantur. Proinde Ariſt. lib. III. de

Magis propinqua cornuũ materia.

Cap. 9.

Cap. 9.

de Hiſtoria, cornua cuti inſita eſſe aſſeuerauit. *Adhęrent cornua cuti potius quàm oſſi: unde fit, ut in Phrygia, & alibi boues ſint, qui cornua perinde ut auriculas moueant.* Quam quidem Ariſtotelis ſententiam refert Albertus in III. de Animalibus. Quòd autem cornua atque cutis ſimul conglutinata ſint, ſatis compertum eſt iis, qui cornigera excoriant: etenim unà cum corio cornua detrahunt: quicquid opinatus fuerit Plinius, qui lib. XI. hęc monumentis commendauit. *Cęterorum oſſibus adhærent: ceruorum tantùm cutibus renaſcuntur.* Porrò natura ex eiuſmodi materia cornua, atque alia id genus beſtiarum arma fabrefecit, ut firmiora eſſent: cuius rei fidem facit Gal. lib. I. de Vſu partium, dicens. *Omnes enim animalium particulas prominentes, & nudas ex tali ſubſtantia creauit, qualis neq; quaſſari facilè propter mollitiē, neque rumpi propter ſiccitatem poſſet: talis autem particula eſt ungula tam ſolida quàm bifida, talis calcar, talis cornu.* Verùm fortaſſe quiſpiam ſic inſtaret: cùm apud medicos conſtantiſſimum ſit, neruos eſſe ſenſuum organa, ſi cornuum materia neruoſa exiſteret, procul dubio cornua ſentirent: atqui nequaquam ſentiunt: ſequitur ergo, quòd illorum materia minimè neruoſa ſit. Qui ſcrupulus hoc pacto tollatur: quòd ſcilicet non ex neruoſa materia pura ac ſyncera cornua fuerunt ab ipſa natura fabricata: ſed ex fæculenta, quæ quidem ob intẽperiem atque craſſitiem ſenſum non admittat. Adhuc quæri poſſet, cur inquam igne molliantur cornua, cum adeò terreſtria ſint. Cuius ſanè difficultatis ſolutio ab Ariſtotele peti poterit, qui in II. de Gener. animal. hæc ſcriptis mandauit. *Sed quæ terrena admodum oriuntur parum humoris caloriſq; adepta, hęc dum refrigerantur, humore cum calore euaporante duram terrenamq; formam capiunt, ut ungues, cornua, ungulę, roſtra: quamobrem igne molliuntur.* Mollificabilia enim ſunt ex eiuſdem philoſophi ſententia in IIII. Meteor. *Quęcunq; terrę magis, & cùm euaporauerit totum humidum.* Vbi commonefaciendum eſt, quòd Ariſt. per totum humidum intellexit, humidum craſſum ſenſuiq; peruium: non autem quòd totum prorſus humidum per uapores euaneſcat atque diſſipetur: & idcirco cùm frigore concreſcant hæ particulæ, calore dein molliores fiunt: calore nanque inſitus ille humor funditur, qui fuſus mollitiem parit, ubi durities, cùm intus prius lateret, extiterat: veluti etiam flexibile & tractabile fit corium arte elaboratum, ſi igni admoueatur, quod antea rigidum perſentiebatur. Et quamuis enumeratæ ab Ariſtotele nuper particulę terreſtres ſint, ſibi tamen aliquantulam humoris portiunculam, & eam quidē glutinoſam reſeruarunt, quæ ab igne ad ſenſum reuocatur: à prædominioq; hanc nomenclationem ſibi aſciuerunt, non autem quòd humoris

moris

Margin notes: Tract. 1. Cap. 1. — Cap. 37. — Cap. 11. — Obiectio. — Solutio. — Instantia. Solutio. — Cap. 4. — Cap. 2. Sum. 3.

moris omnino expertes ſint eiuſmodi particulæ. Illiquabilia tamen ſunt cornua, ut ait Ariſt. lib. III. de Gene. animal. Nam quæcunque
Cap. II. colliquantur ab humido ortum ducunt, in quod remeant, ut glacies: atqui cornua, & aliç id genus particulç tantum non adepta ſunt humorem, ut colliqueſcant. Varius cornuum color haud leuem parturit ambiguitatem. Dubitatio.
Cap. 4. Siquidem ab Ariſtotele in II. de Gener. animal. ſcribitur, ungues, pilos, cornua, & id genus alia ab ipſa cute effloreſcere, atque eius colore infici: quod quidem ab eodem necnon phi-
Cap. 9. loſopho confirmatur, tum in III. de Hiſtoria, tum libello de Colori-
Cap. 6. bus: quo in poſteriori loco huiuſce infectionis rationem reddens, inquit. *Propterea quòd his omnibus alimentum per cutem ad exteriorem ambitum percolatur*. Dubitandi autem ratio talis ſit. Etenim boum cornua mucronem habent nigricãtem, cùm tota ferè alba ſint: ſi itaq; cornua cutis colore inficerentur, hanc profectò colorum uarietatem non reciperent. Propoſitæ difficultatis ſolutionem innuebat Ariſt. loco nuper adducto lib. de Coloribus, ubi nigredinem ab antiquitate Solutio prima.
prouenire admittit: quod ſenſu necnon ſtabiliri poterit, cùm ſenum cutem fuſcam fieri cernamus. Quocirca cùm eminentiores cornuum partes uetuſtiores ſint, utpote quæ prius eruperint, nigrorem contraxerunt. Vel dicamus ſuperiores cornuum partes in bobus nigricare, Solutio altera.
quia ex fuligine enutriantur, quæ cùm à uehementiori calore proficiſcatur, maiori etiam impetu fertur, ſublimioremq; locum petit. Neutra tamen ſolutio (vt uerum fatear) prorſus ſatisfacit. Etenim cuncta cornua in cuſpide nigrore inficerentur, obſcuritateq; coinquinarentur, ſi alterutra ſolutionum ueritatem non reſpueret. Satis verò fuit nobis locum demonſtraſſe. Hactenus itaque à nobis oſtenſum eſt, triplicem eſſe cornuum materiam, remotam nimirum, propinquam, & magis propinquam: atque ſancitum eſt, remotam eſſe cibũ aduentitium & auctiuum, propinquam terreni alimenti excrementum, & magis propinquam oſſeum atque neruoſum. Supereſt modò, ut cæteras cornuum cauſas ſcrutemur. Subſtantialis cornuum forma Cornuum ſubſtantialis forma.
nos latet, perinde ac & cæteræ ſubſtantiales formæ tenuiter nobis innoteſcunt: ueruntamen cùm homœomera cornua exiſtant, homœomerorumq; propria forma & peculiaris, eorum ſit temperies, cornuum quoq; innatam temperaturam, illorũ formam eſſe arbitrandũ erit. Efficiens cauſa, quæ materiam cornibus ſubminiſtrat, eſt vis ex- Cornuum efficiens.
pultrix: inſtrumentalis, naturalis calor: vniuerſalis autem cauſa, àqua cunctæ animantium operationes ſcaturiunt, eſt ipſamet anima. Cornuum finis eſt cornigerorum animalium ſalus: ad uim enim aut Cornuum finis.
inferendam aut propulſandam cornigera cornua geſtant, utì cenſuit

Ariſt.lib.III.de Partibus.Vnde in ſolidum mucronem deſinunt, quãuis illorum plurima in inferioribus partibus uacua & inania ſint, ſicut idem philoſophus affirmauit lib III.de Hiſtoria. *Cornua parte plurima caua ſunt ab radice, quatenus ambiunt os, quod ortum à capite cauo cornu inſeritur, totumq́; implet: in mucronem tamen ſolidum exeunt, et ſimplici parte extrema conſtant.* Ex quibus Ariſtotelis verbis manifeſtum eſt, quòd tuber illud oſſis capitis, quod inferiorem uacui cornu partẽ replet, nequaquam ipſius cornu pars ſit: quare cornu cum illo oſſe conglutinatur ſecundùm eam quodammodo coniunctionem, quæ ab anatomicis Gomphoſis nuncupatur: hæc uerò eſt quotieſcunque os oſſi infigitur, vt dentes, quippe qui in maxillarum præſepiolis impinguntur: non prorſus tamen Gomphoſis talis copula vocari poterit: nam licet cornua aliquam oſſium ſapiant naturam, non tamẽ omnino oſſea ſunt, cùm (vt diximus) & neruoſa exiſtant. Hoc autem rarum & fungoſum apparet, vt aliqua oſſei nutrimenti portio cornibus ſuggeratur, illa nempe, quæ primoribus ſuperioris maxillæ dentibus fuerat deſtinata. Cornua capiti implantata ſunt, vt abſq; alicuius functionis impedimento enixè & eminus ferirent cornigera. Quapropter Ariſt. loco præallegato lib.III.de Partibus, Aeſopi Momum hoc pacto deridebat. *Rectè etiam capiti cornua mandauit, nec ut Aeſopi Momus vitio dat, quòd taurus non in armis cornua gerat, vnde ferire vehementius poſſit: ſed capite parte corporis imbecilla. Non enim ingenio perſpicaci ille Momus hęc deprehendit: ut enim ſi in alia quauis parte cornua haberentur, fruſtra ponderi eßent, nulla in re vtilia: multa etiam officia impedirent. Sic armis quoque infixa ſedem omnino ineptam tenerent, non ſolùm enim, vnde ictus fiant vehementiores conſiderandum eſt; ſed etiam vnde remotiores.* Et reliqua. Ex cornu uaria artis opera artifices conſtruunt, quæ omnia hic recenſere, & parùm vtile, & admodum laborioſum eſſet: hoc tamen ſolum ſilentio non inuoluam, libram ſcilicet Romanã ex cornu olim fabrefactam fuiſſe, de qua meminit Gal. lib.I.de Comp.med. per genera, dicens; *Menſuralis libra liquidorum, quæ copioſiſſima in tota Vrbe ex materia cornea conſtat.* Et lib.VI. eiuſdẽ operis. *Ego ſanè libram Romæ vocatam, quam per inciſuras diſtincta cornua metiuntur, ponderaui quandoque, diſcere cupiens quantum grauitatis pondus contineret, inueni duodecim olei menſurales, decem uncijs ponderum æquales.* Quemadmodum ruminantia cornigera omnia dentium expertia ſunt, ita ſunt cornibus armata, quę cùm penes varia differentiarum genera diſtinguantur, non ab re fore exiſtimaui, ſi eiuſmodi varietatẽ indagauerimus, vt cornigerorum, in quo concordant, diſcordiam agnoſcamus. Cornuum diſcrimina ab ipſorum figura, ſitu, ſoli-

Margin notes: Cap. 2. (beside "Ariſt.lib.III.de Partibus"); Cap. 9. (beside "lib III.de Hiſtoria"); Cap. 2. (beside "lib.III.de Partibus, Aeſopi Momum"); De libra Romana.; Cap. 13. (beside "lib.I.de Comp.med."); Cap. 8. (beside "lib.VI."); Cornuum differentię.

ſoliditate, magnitudine, numero, atque colore ſumuntur. Figura quidem cornua diſtinguuntur. Siquidem alia recta, alia curua ſunt: pleraque tamen inflexa conſpiciũtur: inde Varro lib. de lingua Latina, cornua à curuitate nuncupata fuiſſe cenſuit. Cornua autẽ curua uel ſunt leuiter reclinata, vel in anfractum & gyrum circunducta. Item cornuum alia leuia ſunt & perpolita, alia aſpera & quaſi montoſa: alia ſimplicia ſunt, alia verò in plureis ramos propagata. Situ diſcriminãtur cornua. Etenim alia ſunt in frontis centro implantata, alia in naribus, alia è frontis erumpunt lateribus, aliaq; maxillæ infiguntur, ſi recta modo fuerit Iubæ ſententia, qui exporrectos elephantis dentes cornua appellauit: quamuis eo antiquior Herodotus rectius dentes (ut eſt etiam communis loquendi modus) nominauerit. Cornuũ quoque mucrones uel latera reſpiciunt, uel terga, uel anteriorem partẽ, vel ſupra uel infra inclinãtur. A ſoliditate cornuum diſtinctiones capiuntur. Nanque alia ſolida ſunt, alia inania & vacua: ſolidorumque alia ſolidiora ſunt, alia verò minus ſolida. A magnitudine cornuũ varietates prouenieẽtes eiuſmodi ſunt. Quippe alia maiora, alia minora exiſtũt. Ariſt. lib. de Admir. audit. inquit, quòd in Heſæno Pæoniæ mõte quoddam animal inhabitat nuncupatum Bolinthum, & á Pæonibus Monapios, cuius cornua amplitudine haud multò arctiore ſunt, quàm ut ſingula ſemiſeſtarium capiant. Cornuum diuerſitates à numero deriuantes, hæ ſunt. Cornua vel ſingularia ſunt, uel bina, uel trina, vel quaterna, vel adhuc plura. Cornua coloribus diſcrepant. Alia nanque verſicoloria ſunt, alia uerò vnico colore infecta: & hæc uel alba, uel nigricantia, uel cinerea, uel flaua, uel alterius fortaſſe coloris ſpecie infecta: At uerſicoloria cornua uel colores habent ad intima penetrãtes, uel ſuperficies, atq; penitior pars diſcolores ſunt. Poſſent & aliæ plures adduci cornuum uarietates, vtpote quòd alia ſint, ut aures, mobilia, alia autem immobilia: alia decidua, alia permanentia: alia robuſtiora ſint, ut incurſionibus uehemẽtiùs reluctentur, alia verò mucronata, vt acerbiùs feriant: alia denique cuti magis, alia uerò minus infixa ſint: dicebat enim Ariſt. in III. de Hiſtoria, quòd cornua adhærent cuti potiùs quàm oſſi: quaſi admiſerit illa, necnon oſſibus inniti. Inde inferebat, quòd in Phrygia ſunt boues, qui cornua moueant, perinde ac auriculas. Verùm has, aliaſq; cornuum diſſimilitudines nunc accuratè nos recenſere non eſt opus, præſertim cùm vberrimè hac in parte ſatisfaciat Plinius, qui lib. XI. hæc literis conſignauit. *Cornua multis quidem & aquatilium, & marinorum, & ſerpentium uarijs data ſunt modis: ſed quæ iure cornua intelligantur quadrupedi tantũ generi. Actæonem enim, & Cippum etiã in Latina hiſtoria fabuloſos reor.*

Nec

à Figura. — à ſitu. — à ſoliditate — à magnitudine. — Hiſt. I. — à numero. — à colore. — Cap. 9. — Cap. 37.

*Nec alibi maior laſciuia naturæ luſit animalium armis. Sparſit hęc in ramis, ut ceruorum. Alijs ſimplicia tribuit, ut in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis. Aliorum finxit in palmas, digitoſq́; emiſit ex ijs, vnde platycerotas uocant. Dedit ramoſa capreis: ſed parua, nec fecit decidua. Conuoluta in anfractum arietum generi, ceu ceſtus daret, infeſta tauris. In hoc quidem genere & fœminis tribuit. In multis tantùm maribus. Rupicapris in dorſum adunca. Damis in aduerſum. Erecta autem rugarumq́; ambitu contorta, & in leue faſtigium exacuta, ut lyras diceres ſtrepſiceroti, quē addacem Aphrica appellat. Mobilia eadem, vt aures, Phrygię armentis, Troglodytarum in terram directa, qua de cauſa obliqua ceruice paſcuntur. Alijs ſingularia, & hæc medio capite, aut naribus, ut diximus. Iam quòd alijs ad incurſum robuſta, alijs ad ictum. Alijs adunca, alijs ad iactum pluribus modis, ſupina, conuerſa, connexa. Omnia in mucronem migrantia. In quodam genere pro manibus ad ſcabendum corpus. Cochleis ad prætentandum iter.* Multò plura etiam de cornuum uarietate affert Plinius, quę prolixitatis euitandæ gratia conſultò relinquo. Cæterùm quamuis multis cornua modis diſſonent, in hoc tamen uno cuncta conſonāt, quòd demum in mucronem concreſcunt, atq; in fundamento latiora ſunt, tum ratione materiæ, tum ratione finis: ratione quidem materiæ, cùm non ita affatim ipſa ſupremo ſuppeditetur faſtigio, vt imę illorum baſi ſuggeritur: ratione autem finis, cui materia ancillatur, vt ſcilicet acriùs cuſpide icirent, atque firmius in radice ſtabilirentur cornua. Hactenus de cornibus diſputatum ſit.

## SYNTAGMATIS TERTII, FINIS.

DE

# DE RVMINANTIBVS, VNICORNIBVS.

## SYNTAGMA QVARTVM.

INFERIORA hæc & caduca animalia, uel ex putreſcente materia primordia ducunt, uel ex maris fœminæque coniugatione procreantur: quæ concubitu propagãtur, uel uiuipera, uel ouipera eduntur: uiuipera, uel bipeda, uel quadrupeda exiſtunt: quadrupeda uel unicam ungulam, eamque ſolidam habent, Græcis μώνυχα nuncupata, & Latinis ſolipeda: uel in duas partes ungulas ſectas obtinent, Græcis δίχηλά, & Latinis biſulca & bifida appellata: uel ungulas in plureis partes diſtributas gerunt, Gręcis πολυσχιδῆ, & Latinis multifida nominata. Eorum, quæ ſolidam ungulam habent, perpauca admodum inter cornigera connumerantur: plurima biſulca cornibus donata ſunt: cũcta uerò multifida (ſi Ariſtoteli credimus) cornibus mutilata ſunt atque decurtata. Proinde ſcribitur in II. de Hiſtoria. *Sunt item animalium alia cornigera, alia mutila. Quæ cornua gerunt, biſulca magna ex parte per naturam ſunt, ut bos, ceruus, capra. Quod autem idem & ſolipes, & bicorne ſit, nullum eſt, quod nos adhuc norimus. At ſolipes, idemq; unicorne eſt, quanquam rarum, ut aſinus Indicus: ille enim & unicornis, & ſolipes eſt. Unicornis uerò idemq; biſulcus oryx eſt.* Et lib. III. de Partibus. *Quæ igitur pedes multifidos habent, cornu omnia carent: cuius rei cauſa eſt, quòd cornu auxilij gratia habetur. Multifidis autem non deſunt*

Animalium diuiſio.

Cap. 1.

Cap. 2.

*deſunt alia auxilia. Dedit enim natura alijs vngues, alijs dentes pugnaces, alijs partem aliam, qua ſeſe tueri, atque defendere poſſent: at uerò biſulcorum pars maior cornua gerit, & ſolipedum nonnulla ad uim inferendam: quædam etiam ad defendendum.* Et quæ ſequuntur. Quoniam perpauca ſolipeda cornigera ſunt, & quàm plurima utrinque dentibus armata, non μώνυχα ſolum ab ipſa ungulę ſoliditate fuerunt uocata Græcis, quin & ἀμφώδοντα dicta, quippe quæ utrinque dentata ſint. Cùm igitur ruminantia pleraque biſulca ſint, & perpauca ſolipeda ruminent, ſic Dantes in II. Cantica ſuæ Comœdiæ cecinit. Cát. 16. Purg.

*Le leggi ſon; ma chi pon mano ad eſſe?*
*Nullo; però che'l Paſtor, che precede,*
*Ruminar può; ma non ha l'unghie feſſe.*

Quæ quidem carmina Sacræ ſcripturæ autoritatibus innituntur. Etenim in Leuitico legitur. *Hęc ſunt animalia, quę comedere debetis de cunctis animalibus terræ. Omne quod habet diuiſam ungulam, & ruminat, in pecoribus comedetis. Quicquid autem ruminat, & habet ungulam, ſed non diuidit eam, ſicut camelus, & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis. Cyrogrillus qui ruminat, ungulamq; non diuidit, immundus eſt. Lepus quoque nam & ipſe ruminat, ſed ungulam non diuidit. Et ſus cùm ungulam diuidat, non ruminat. Horum carnibus non ueſcemini.* Et in Deuteronomio hæc promulgata fuerunt. *De ijs autem, quæ ruminant, & ungulam non findunt, hæc comedere non debetis. Camelum, leporem, cyrogrillum, quia ruminant, & non diuidunt vngulam, immunda erunt uobis.* Quas Sacrarum literarum autoritates explanans Pierius Valerianus in VII. Hieroglyphicorum ait. *Huius verò rei ſignificatum ex Diuinis literis interpretandum, ex quibus animalia quę ruminant, & ungulas bifidas habent, profana non eſſe didicimus: quod quidem eo uelamento ſubinnuit, eum qui ſacris ſit initiaturus, pietatis meditatione, neque non doctrina iudicioq; prеſtare oportere. Bifida ſiquidem ungula diſcernendi doctrinam, & ſingulorum indicat examinationem, quam per ipſas rerum diſtinctiones aſſequimur, ut rectum ab indirecto, lepram à non lepra diſcernere poſſimus: ruminatio uerò, ut ſępe dictum, pietatem & diuinarum rerum meditationem oſtendit: horum qui altero careat, tanquam ineptus reijciendus.* Ruminatio itaque in Sacris literis rerum diuinarum memoriam atque cogitationem indicat, ungula uerò bifida electionis & diſtinctionis eſt ſymbolum: hoc eſt (Heſychio teſte) ut literam à ſpiritu ſecernamus, & quædam ſecundum hiſtoriam ſolam, quædam ſecundum cõtemplationem, & quædam

Cap. 11.

Cap. 14.

dam ſecundum utrunque intelligenda eſſe animaduertamus. Inde
Irenæus per mundos interpretatus eſt eos, qui Diuinarum Perſona-
rum diſtinctionem firmiter credunt, quique die noctuque ſanctas
meditantur traditiones. Ethnici neque ruminant, neque diuidunt:
Iudæi ruminant, ſed non diuidunt: hæretici peruerſè plerunq; diui-
dunt, nunquam tamen ruminant. Quamobrem gloſſa ſuper addu-
ctum Leuitici locum, inquit. *Vngulam diuidunt, qui ſecundum teſta-*
*menta firmo ſe gradu innocentię & iuſtitię ſtatuunt. Iudæi ruminant uer*
*ba legis: ſed ungulam non findunt: quia duo teſtamenta non recipiunt, nec*
*in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum credunt. Fidei greſſum di-*
*uidunt hæretici, ungulam findunt in Patrem & Filium credentes: ſed do-*
*ctrinam ueritatis non ruminant.* Et de Hebręis diſſerens addit. *Hi ru-*
*minant, quia in litera meditantur: ſed non diuidunt ungulam, quia literā*
*à ſpiritu non diſtinguunt.* Cornigerorum cùm uariæ ac diuerſæ repe- Cornigerorū genus innominatum eſſe.
riantur ſpecies, genus quoddam conſtituunt, illud tamen apud Græ-
Com. 44 cos innominatum: cuius rei fidem facit Philoponus in IIII. Analy-
tico, ubi exarauit. *Quoniam genera, aut nominata ſunt, ut quæ per vnum*
*nomen declarantur: aut innominata, ut quę ſignificantur per orationem, &*
*non per nomen. Verbi gratia, habere cornua, genus innominatum eſt.*
Quod ſanè cornigerorum genus apud Latinos minimè innominatū
uidetur, cùm unico nomine ab ipſis ſignificetur, ut oratione nequa-
quam opus ſit ad illud demonſtrandum: cornigerorum nanq; genus
cornigenum, uel cornigerum ab illis nuncupari conſueuit: quod in
tres præcipuas dirimitur ſpecies. Etenim cornigera uel unicornia, Cornigerorū diuiſio.
uel bicornia, uel multicornia exiſtunt. Vnicornia uerò uel ungulam De unicornibus.
ſolidam, uel ſectam habent. Solipeda unicornia, uel aſini, uel bouis,
uel equi ſpeciem præ ſe ferunt. De aſino commemorauit Ariſt. loco De unicorni aſino.
Cap. 11. ſuperiùs adducto lib. II. de Hiſtoria, ubi aſinum Indicum & unicor-
nem, & ſolipedem eſſe ait: de quo etiam aſino ſic meminit in III.
Cap. 4 de Partibus. *Cornigerorum pars maxima biſulca eſt: ſed ſolipes etiam*
*traditur in eodem genere, quem aſinum Indicum uocant.* Vnicornem
aſinum (ex aliorum tamen relatione) hoc modo deſcripſit Aelianus:
eum ſcilicet corporis molem equo æqualem obtinere, totumq; eſſe
candore ſuffuſum, capite tantùm, quod purpureum eſt, excepto: cu-
ius cornu mucronem uerſus ſubrufum ſit, ſecundum frontem albū,
atq; in interſtitio nigricans, ſicut etiamnum eius atri ſunt oculi.
De unicorni boue idem Aelianus, unà cum Oppiano mentionem fe- De unicorni boue.
cit, ambo de quibuſdam Aoniæ tauris unicornibus loquētes. Plinius
Cap. 21 lib. VIII. prodidit hæc. *In India & boues ſolidis ungulis unicornes.*

Qui tamen ſibi ſatis conſtare non uideretur, cùm dein lib. x i. ſcripſerit ſolum Indiæ aſinum inter ſolipeda cornigerum, atque unicornem exiſtere: niſi in VIII. Eteſiæ autoritate locutus fuiſſet. Ludouicus Barthema ſe conſpexiſſe Zeilæ, quæ Aethiopiæ ciuitas eſt, enarrauit, boues ſingulari cornu munitas, palmi longitudinem ęquante, ad tergaq; reclinato. Iulius Cæſar ſe in Hercynia ſylua unicornes boues necnon comperiſſe affirmauit. De unicorni Indiæ equo ſermonem fecit Aelianus, monumentiſq; mandauit (ſedenim ex aliorum ſententia) ex illius cornu pateras fabrefieri, quibus uenenum lethalem malitiam deponeret: quam quidem abditam admirabilemq; uirtutem aſini quoque ſylueſtris cornu conceſſit. Quamobrem Reges, magniq; Indiæ proceres cyathis ex unicornis cornu conſtructis potare conſueuerunt, ut omne ueneni maleficium, atrociumq; morborum ſæuitiam præcauerent. Vnicorne uerò biſulcum Græcis ὄρυξ & ὄρυγξ appellatur, de quo commemorauit Ariſt. hoc pacto in II. de Hiſtoria. *Vnicornis, idemq; biſulcus oryx eſt*. Item lib. III. de partibus. *Sed ſunt etiam quæ cornu ſingulari armentur, ut oryx, & quem aſinum Indicum appellari diximus. Oryx biſulcum, aſinus ille ſolipes eſt*. De oryge mentionem fecerunt Aelianus, atque Oppianus lib. II. de Venatione. Herodotus orygem animal capræ ſimile, unicorne, & biſulcum eſſe dixit. De oryge ſæpius commemorauit Plinius, cuius autoritates ſigillatim nunc recenſebo. Etenim lib. II. ſuæ naturalis Hiſtoriæ, de caniculæ ortu diſſerens, ait. *Orygem appellat Aegyptus feram, quam in eius exortu* (ſcilicet caniculæ) *contriſtare & contueri tradit, ac ueluti adorare, cùm ſternuerit*. Inſuper in VIII. ſcripſit. *Sunt & oryges ſoli à quibuſdam dicti contrario pilo veſtiti, & ad caput uerſo*. Et libro x. prodidit. *Orygem perpetuò ſitientem Aphrica generat ex natura loci, potu carentem cum mirabili modo ad remedia. Nanque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum ſaluberrimi liquoris hauſtu veſicis*. De oryge necnon L. Columella mentionem fecit lib. x. *Ferę, pecudes, ut capreoli, damæq;, non minus orygum, ceruorumq; genera, & aprorum: modò lautitijs, & uoluptatibus dominorum ſeruiunt: modò queſtui, ac reditibus*. In Diuinis itidem literis fit de oryge commemoratio. Siquidem in Deuteronomio memoriæ propagatum fuit. *Ne comedatis quę immunda ſunt: hoc eſt animal, quod comedere debetis, bouem, & ouem, & capram, ceruum, capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum*. Vnde Hieronymus in Eſaiam ſcriptum reliquit. *Getulus oryx genus eſt ferę naſcentis in eremo inter munda animalia*. Alberti unicornis

eſt

Marginal notes: Cap. 37. — De vnicorni equo. — De oryge vnicorni biſulco. — Cap. 1. — Cap. 2. — Cap. 40. — Cap. 53 — Cap. 73 — Cap. 14. — Cap. 51.

eſt moderatę quantitatis animal, biſulcum, buxei coloris, atque de- Alberti uni cornis deſcriptio.
Calcem verſus. ſerti incola. Quippe lib. XXII. de Animalibus, hæc chartis promp-
ſit. *Vnicornis animal eſt moderatę quantitatis reſpectu ſuę fortitudinis, buxei coloris, & fiſſę in duo ungulę pedis, in montibus & deſertis habitans, longum valde cornu in fronte geſtans, quod ad ſaxa limat, & cum ipſo perforat etiam elephantem, nec timet uenatorem: hoc animal magnus Pompeius ad ſpectaculum Romę exhibuit. Dicunt autem quòd hoc animal adeò uirgines puellas ueneratur, quòd ipſis uiſis manſueſcit, & aliquando iuxta eas ſoporatur, & capitur, & ligatur: capitur etiam cùm adhuc eſt iuuenis, & tunc domatur.* Biſontem nonnulli unicorne animal eſſe affirmarunt, ceruo haud diſſimile: prolixitate tamen iubarum admodum deforme, ac ferum. De biſontibus ſic
Cap. 15. meminit Plinius lib. VIII. *Inſignia tamen boum, ferarum genera iubatos biſontes.* Biſulca illa unicornia nequaquam reticebo à Ludo- De quibuſdã unicornibus biſulcis
uico Barthema deſcripta in Mecchæ Hiſtoria. Etenim ſe in ea regione unicornia bina perſpexiſſe teſtatus eſt, ſepibus circuncluſa, ceruinum caput habentia, perbreue collum, ab altero latere reclinantes raroſq; crines, oblonga crura capreolorum more hirſuta & gracilia, atque caprinam ungulam obtinentia: quorum quidem (ut ipſe refert) unicornium, alterum in frontis centro cornu trium ulnarum magnitudinem adęquans geſtaret, alterum uerò quatuor pedum prolixitatem pręmonſtraret: illud corporeæ molis equini pulli menſes triginta nati, hoc autem annum agentis menſuram æ-
Cap. 2. mulabantur. Neutiquam ſilentio prætereundum eſt, quod tum de ſolipede, tum de bifido unicorni commonefecit Ariſtot. in III. de Partibus, ubi hęc ſcriptis mandauit. *Solipes potiùs quàm biſulcum eſſe unicorne rectè uideri poteſt. Vngula enim tam ſolida, quàm biſulca eandem naturam habet, quam cornu: itaque eiſdem ſimul & ungulam findi, & cornu congruum eſt. Fiſſio etiam ungulæ, & cornu ex defectu naturæ euenit. Itaque cùm exuperantiam ungulæ ſolipedum natura dediſſet, rectè dempſit ſuperne, fecitq; unicorne.* Multifida reperiun- De multifidis unicornibus.
tur unicornia, ſi M. Paulo Veneto ulla adhibenda fuerit fides, hic enim deſcribens quæ Baſmę regio proferat, multa ibi unicornia inueniri affirmauit: hæc uerò elephantis minora eſſe, elephantorũ licet more habeant pedes, depreſſum caput gerẽtia aprinoq; ſimile, ſpinoſam linguã, nigricãteſq; oculos obtinentia: teterrimas deniq; beſtias ſordidaſq; eſſe inquit, nec cornu tantùm, quinimmo & lingua petere. Quæ unicornia profectò inter multifida recenſenda eſſe nõ eſt, ut quiſpiam ambigat, cùm elephantinis pedibus gradiantur. Siquidem

ex Ariſtotelis ſententia in IIII. de Generat.animal. *Elephas animal maximum, idemq́; multifidum.* Nullum tamen unicorne multifidum agnouit Ariſtoteles. Etenim literis mandauit lib. III. de Partibus. *Quę pedes multifidos habent, cornu omnia carent.* Cæterùm quæ de unicornio animali prolixiori ſermone enarrauimus, conciſè repetamus, & tanquam in enchiridium quoddam hoc pacto redigamus. Vnicornia uel ſolidam ungulam habent, uel diuiſam: ſolipeda uel aſini, uel bouis, uel equi ſpeciem præ ſe ferunt: quæ diuidunt ungulam, uel ſunt biſulca, uel multifida: biſulca ut oryx, multifida cuiuſmodi unicorne illud à M. Paulo Veneto deſcriptum. Verumenimuero cùm penes ungulas a nobis unicornia diſtincta ſint, fecemus etiamnum ea penes ipſorum cornuum ſitum. Vnicornia uel in nare cornu, uel in fronte exporrectum geſtant, illud ῥινόκερως à ſitu Græcis dicitur, iſtud uerò ab unitate cornu μονόκερως. De rhinocerote hæc Plinius ſcripta reliquit in VIII. *Iiſdem ludis & rhinoceros unius in nare cornu, qualis ſępe uiſus. Alter hic genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ. In dimicatione aluum maximè petens, quam ſcit eſſe molliorem. Longitudo ei par. Cornua multò breuiora. Color buxeus.* Solinus etiam rhinocerotis cornu recuruum eſſe, cautibusq; attritum in mucronem exacui ſcripſit. Veruntamen Pauſanias rhinocerota duobus cornibus armatum eſſe affirmauit, quorum alterum inſigni magnitudine è naribus erumpat, alterum autem ſupernè promineat, exiguum quidem ualidiſſimum tamen. Rhinocerotis cornuum robur ſatis expreſſit Valerius Martialis lib. I. ijſce uerſibus.

Cap. 4. — Cap. 3. — Concisa unicornium diuiſio. — Alia unicorniú ſectio. — De rhinocerote. — Cap. 20.

*Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magiſtri,*
*Seq́; diu magnæ colligit ira feræ.*
*Deſperabantur promiſſi prælia Martis,*
*Sed tamen ijs rediјt cognitus antè furor.*
*Nanque grauem gemino cornu ſic extulit urſum,*
*Iactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.*

Itidem prius cecinerat de eodem.

*Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.*

Inde ſagacem & prudentem uirum, quippe qui alios doctè cauteq́ue irridere norit, rhinocerotis naſum habere dixerunt, atque in adagium abiit, rhinocerotis naſus. Vnde idem poëta eodem lib. I. hæc modulatus eſt.

*Maiores nuſquam rhonchi, iuueneſq́; ſeneſq́;*
*Et pueri naſum rhinocerotis habent.*

De

De rhinocerote Aelianus quoque, necnon Oppianus lib. II. de Venat. meminit. Inter cornigera, vnicornia ualentiùs cornu petere credendum eſt, tum quia illorum cornu, cùm vnicum ſit, maiorem habet firmitatem: tum quia in frontis centro locatur, ubi maior uiget uis. Proinde in Diuinis literis rhinocerota fortis & robuſti uiri hieroglyphicum eſſe ex Iob adnotauit Eucherius. *Nunquid uolet rhinoceros ſeruire tibi?* Et apud Balaam legitur. *Cuius fortitudo quaſi rhinocerotis.* Vti pleræque Latinæ interpretationes habent, quamuis Sanctes unicornis reddiderit. Quoniam uerò corporis robur petulantiam parit, in Pſalmis promulgatum
Pſal. 21. fuit. *Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Vbi vtraque gloſſa per vnicornium cornua ſuperbiam ex-
Pſ. 28. poſuit. Et infra ſcribitur. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Quem locum ſic explanauit Auguſtinus. *Vnicus patris exinaniuit ſe nobilitate ſua, & factus eſt homo ſicut filius vnicornis, ideſt Iudæorum iactantium ſuam ſingularem iuſtitiam.* In tranſlatione autem Hieronymi iuxta lectionem Hebræam ſic habetur. *Et ſarion quaſi filius rhinocerotis.* Quæ uerba Nicolaus de Lyra ſic expoſuit. *Et ſarion, ideſt filius, per quem intelligitur Moyſes à Deo prædilectus, ſicut filius, quaſi filius rhinocerotis, ideſt ita impauidus, ſicut rhinoceros, quod idem ſignificat, quod vnicornis.* Verùm rhinocerota cum monocerote fortaſſe perturbauit Nicolaus, quippe qui idē vtriuſq; ſymbolum eſſe iudicauerit. Quamuis monoceros commune nomen exiſtat, cuique animali ſingulari cornu, præſertimque in fronte armato accommodatum: Plinius attamen peculiari unicornio tribuit lib. VIII. De Plinii monocerote.
Cap. 21. ſic ſcribens. *Aſperam autem feram monocerotem, reliquo corpore equo ſimilem, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugituq; graui, vnicornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. Hanc feram viuam negant capi.* Idemmet animal prorſus priùs deſcripſerat Aelianus: at præter notas à Plinio recitatas, haſce inſuper adnectebat: eum colore ſubrufo ſuffitum eſſe aſſeuerans, cornuque gerere aſperitatibus quibuſdam cocleæ inſtar inſculptum, atque in acutiſſimum mucronem paulatim imminutum. Iulius item Solinus hoc idem affirmauit, præterquàm quòd cornu ſplendore niteſcere faſſus eſt. Cùm ergo tot tantaque ſint unicornium genera, quodnam ſit illud tam celebre alexipharmacum, tam ſalutare alexiterium, ac mirabile antidotum, nondum ſatis inter ſcriptores conſtat. Siquidem non nulli ſuſpicantur eſſe monocerotis cornu ab Aeliano, Solino, Plinioque deſcripti: non defuerunt, qui illud eſſe aſini Indici, de quo memi- De unicornis alexipharmaco ambiguitas

meminerunt Ariſtoteles, Aelianus, & plures alij : fuerunt & qui Indiæ equi ab eodem Aeliano commemorati id eſſe exiſtimauerint: quibuſdam etiam in mentem uenit, illud eſſe rhinocerotis cornu. Hiſtorici medicis altercandi anſam præbuerunt, ſcilicet quodnam ſit animal Græcis antonomaſticè μονόκερως dictum : Latinis uerò unicornium ſiue unicorne : & Italis alicornum uel lioncornum : quæ quidem ſingulæ nomenclationes tum animali, tum eius cornu inditæ ſunt. Ambigunt inquam medici quodnam ſit illud mirabile cornu, quod omnes pernicioſos morbos fugat, quod ſæuas profligat ægritudines, quod imminentem ueneni præcauet inclementiam, quod ueneni coinquinamento peſtilenti labefactatos, languidos, exanimatos, & propemodum mortis caligine obtenebratos, integræ ualetudini ocyſſimè reſtituat incolumes : & denique quodnam ſit illud cornu adeò ueneno infeſtum, ut illius præſentiam non admittat, non ferat, non patiatur, eamque longè lateque pandat, uel ſudore, uel aquæ feruore ac ſtridore, ſi in eam immergatur, mordicus litigant, & acerrimè inter ſe conflictantur medicorum sectę. Quocirca cùm tanta ſit inter ſcriptores de unicornio diſcordia, accidit ut in principum theſauris uaria ac longè diuerſa unicornium cornua quàm diligentiſſimè reſeruentur. Apollonius philoſophus & plures alij eiuſmodi de unicornio opinionem uanam prorſus eſſe futilemque ſuſpicati ſunt, quos ſecutus eſt inter neotericos Andreas Marinus medicus : hic enim eam inanem eſſe pluribus rationibus conatus eſt oſtendere, tum aduerſariorum argumenta infirmando, tum demonſtrationes aduerſus illam adducendo, quæ ſuadere uidentur uanam illorum eſſe ſententiam, qui tot, tantaque de eiuſmodi celeberrimo cornu prædicarunt. Etenim eiuſmodi cornu, quod tanti æſtimatur, paruipenderent omnes, niſi Aeliani, atque Philoſtrati autoritates illius æſtimationi ſuffragatæ fuiſſent : quæ tamen, ſi accuratiùs perpendantur, infirmæ admodum titubanteſque apparebunt. Siquidem ipſi, quæ ab aliis audierant, ſcriptis tradiderunt, & quæ paſſim rumore quodam circunferebantur, adnotarunt: uti ex eorum uerbis facilè cuique compertum erit. Quapropter unicornis cornu nequaquam maiori medicinæ faciendæ uſui eſſe, quàm cerui cornu conſtanter inquit Marinus : cuius ſententia uero conſonet, diſſonetve, ipſa iudex ſit experientia. Minimè uerò ignorandum uenit, nos unicornis nomen anguſtiùs ſumpſiſſe : ſin autem latiùs acceperimus, unicornia hoc pacto diſtinguemus : nempe quòd

Quomodo unicorne latiùs ſumatur.

alia

alia terreſtria, alia aquatilia, & alia aerea ſint: terreſtria ſunt, quæcunque à nobis commemorata fuerunt: aquatilia, ut beluæ illæ marinę ſingulari cornu armatæ, quas idcirco monocerotos uocauit Albertus: aues item unicornes reperiuntur, ſicut & bicornes. Sedenim eiuſmodi animalia & uolatilia, & natantia, necnon ſerpentia unicornia impropriè nuncupari, propriè uerò quadrupeda cenſuit Ariſto. in II. de Historia, ubi chartis prompſit.
Cap. I. *Quæ autem cornuta ſunt, eadem omnino quadrupeda eſſe certum eſt, niſi quid per translationem cornu habere dicatur: quemadmodum Aegyptij de colubris Thebanis perhibent, quaſi aliquid illis veluti ueſtigium extuberet.* Cui Ariſtotelis ſententiæ ſubſcripſit Plinius lib.
Cap. 37 XI. inquiens. *Cornua multis quidem & aquatilium, & marinorum, & ſerpentium varijs data ſunt modis: ſed quæ iure cornua intelligantur, quadrupedum tantùm generi.* Cuius rei rationem reddidit Ari-
Cap. 2. ſtot. in III. de Partibus, ubi hæc prodidit. *Cornua alijs quibuſdam ineſſe dicimus: ſed per ſimilitudinem & translationem, cùm nullum ex ijs cornu officio fungatur. Gerunt enim, quæ animal pariunt, cornua ad vim aut inferendam, aut depellendam: quod nulli ex cæteris, quæ cornua habere dicuntur, contingit. Nullum enim vtitur cornibus, vel ad conuincendum, vel ad defendendum, quæ virium ſunt officia.* Quapropter metaphoricè & cochleę, & cruſtatorum nonnulla genera, ut cancri: & quędam terreſtria inſecta, cuiuſmodi ſunt ſcarabęi, & id genus alia animalia cornigera nuncupantur. Impropriè item de cornigerorum genere eſſe uidetur ſerpens ille à cornu ceraſtes,
Cap. 23 hoc eſt cornutus uocatus, de quo memorauit ſic Plinius lib. VIII. *Ceraſtis corpore eminere cornicula ſæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato ſollicitent ad ſe aues.* Et Albertus lib. XXV. de Animalibus, ait. *Ceraſtes eſt ſerpens carens ſpinis, in corpore cartilagines habens pro ſpinis: & ideò corpus habens flexuoſius alijs ſerpentibus. Habet autem octo cornua in capite flexuoſa, ſicut cornua arietis: & eſt ſerpens paruus, coloris pulueris: vnde etiam abſconditur in puluere, & paſſeres inſidentes cornibus ſuis, ſicut feſtucis, veneni morſus eos interficit: & ſimiliter alia animalia calcantia*
Cant. 9. *in eum &c.* Dantes inſuper in Inferni Cantica de furijs diſſerens, hęc cecinit.

*Et con hidre veriſſime eran cinte;*
*Serpentelli ceraſte hauean per crine;*
*Onde le fiere tempie eran' auinte.*

De

De hoc ſerpente memorarunt necnon Dioſcorides, Aëtius, Statius, Lucanus, & alij plures. De cornuta aſpide meminit itidem Albertus loco nuper adducto, Auicenna item, & Semeryon. Sed cuncta nunc animalia impropriè cornuta perſcrutari non eſt opus. Quare ſermoni de unicornibus finem imponemus.

## SYNTAGMATIS QVARTI, FINIS.



# DE RVMINANTIBVS, BICORNIBVS.

## SYNTAGMA QVINTVM.

CVm de unicornibus in ſuperiori ſyntagmate diſputatum fuerit, ordinis ratio nunc exigit, ut de bicornibus ruminantibus diſſeramus, Plurima cornigera bicornia eſſe aſſeuerauit Ariſto. in III. de Partibus, dicens: *Maxima animalium pars, ut corpus dextro, ſiniſtroq́;, quibus ſe mouent, diſtinguitur: ſic etiam cornua bina eadem illa de cauſa gerit naturæ ingenio*. Bicornia cornua gerunt, uel ad propulſandas, uel inferendas iniurias: hę nanque duę ſunt cornuum utilitates ex Ariſtotele loco nuper adducto. Ad iniurias propulſandas naturam bonaſos cornibus armaſſe uidetur, de quibus ibidem hunc in modum meminit philoſophus. *Bonaſis (nam ijs quoque pari aduncitate cornua reflexa inter ſe orbem colligunt) excrementi profuſionem natura pro auxilio dedit: hoc enim cùm metuunt, ſe tuentur. Hac eadem profuſione alia quoque ſeruari certum eſt*. De bonaſo Ariſt. item lib. II. de Hiſtoria hęc ſcripſit. *Sunt nonnulla, quæ ſimul biſulca ſint, & iubam habeant, & cornua bina, orbem inflexu mutuo colligentia gerant, ut bonaſus, qui in Pæonia terra, & Medica gignitur*. Plinius bonaſum necnon ita circumſcripſit in VIII. *Tradunt in Pæonia feram, quæ bonaſus uocatur, equina iuba, cætera tauro ſimilem, cornibus ita in ſe inflexis, ut non ſint utilia pugnæ*. Vbi commonefaciendum eſt, quòd Plinius bonaſi cornua pugnę inutilia eſſe af-

Cap. 2. Cap. 1. Cap. 15.

Duo cornuum vſus.

De bonaſo.

L firmauit,

firmauit, ad uim ſcilicet inferendam: minimè autem ad iniurias depellendas futilia ſunt, cùm hoc auxilio bonaſos ſe tueri aſſeuerauerit Ariſt. Bonaſus itaque cornibus utitur tanquam clypeis, ut ſeipſum ab externis tueatur iniuriis. Bicornia uerò cornibus donata, ut in congreſſibus ac pugnis feriant, uel ſolida, uel inania cornua geſtant. Qua in re animaduertendum eſt uacua cornua, in extremitatibus cuncta fuiſſe ſoliditate ſtabilita: in baſi quippe, ut firmius fronti infigerentur, in cuſpide autem, ut cornu ualentiùs peterent: animaduertebatq; Ariſt. lib. III. de Partibus, ſolidum illud, quod inferiorem replet concauitatem, nequaquam cornuum eſſe particulam: immo uerò quandam cranei extuberantiam. Inania cornua, uel mobilia ſunt, uel immobilia: mobilia cornua habent Phrygiæ boues, perinde ut aures, de quibus tum Ariſt. lib. III. de Hiſtoria, tum Plinius lib. XI. memorarunt. Atqui præter Phrygiæ boum armenta, aliarumq; regionum, quædam fera Eale nuncupata comperta eſt, quæ & ipſa cornua ciet, cuius talem attulit deſcriptionem Plinius in VIII. *Eale magnitudine equi fluuialis, cauda elephanti, colore nigra uel fuſca, maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habens mobilia, quæ alterna in pugna ſiſtit, uariatq; infeſta, aut obliquè, utcunque ratio monſtrauerit.* Quemadmodum cornigera pleraq; bicornia exiſtunt, & cuncta ferè bicornia cornibus uacuis donata ſunt: ita omnia fermè inania cornua adeò in capite ſtabilita ac infixa ſunt, ne tantulum quidem titubent. Singulas horum bicornium ſpecies referre nunc non eſt opus: at ne ab illarum narratione omnino ſuperſedere videamur, pauca quædam de capra ab Ariſtotele hinc inde excerpta proponemus. Montis Oetę paſtores urticæ earum caprarum vbera acriter perfricant, quæ coitum non admittunt, ut dolore excrucientur: itaque cruentum humorem eliciunt, mox purulentum, & poſtremò lac haud minus copioſum, quàm ex iis, quæ venereum congreſſum non reſpuunt. Caprarum ubera extabeſcunt, cùm primum caprimulgus auis ea ſuxerit, non abſq; caprarum cæcitate. In Lemno tantum lactis ex capri mammis, iiſq; geminis ſecundum genitale locatis, ut coloſtra ex eo conflarentur: quod quidem iure ueluti hæreditario illius capri maſculæ proli contigiſſe affirmatum fuit, & inter oſtenta connumeratum. Nam Lemnio pecoris domino conſulenti, amplius peculij incrementum futurum ex oraculo reſponſum eſt. Cretę ſylueſtres capras ſæuis ſagittis ſaucias, ſolo dictami paſtu nullo negocio tela è corpore elidere autumarunt. Fel maximum Naxi capræ obtinent: at uerò apud Chalcidem Euboiam felle prorſus ſunt mutilatæ. Per aurium anfractus capras reſpira-

Bicornium ferientium diuiſio.

Cap. 2.

Cornigera cornua momentia.

Cap. 9.

Cap 87.

Cap. 21.

Varia de capra.

reſpirare credidit Alcmęon. Animalia quædam extant utroque genitali prædita, & in hominum genere quidem dantur, quos hermaphroditos & androgynos nuncuparunt: plurimis uerò capris vtrunq; ſexum natura conceſſit, quas hircinas uocitarunt. Conſpecta fuit capra crucis modo cornu gerens. Cephaleniæ capræ ad flantem auram hiantes, pro potu hauſto, uento reficiuntur. Legitur quòd in Pedaſia Cariæ Ioui ſacrificia perſoluebantur, ad quæ capram incolæ admittebant, quæ tanta obedientia, taliq; modeſtia properabat, ut ſemetipſam ſummopere affectare uideretur, holocauſtum fieri. Horum plura, quæ de capris ex Ariſtotele coaceruauimus, ipſe ex aliorum potius, quàm ex propria refert ſententia. Literis commendatum fuit, Trogloditas Aethyopiæ populos cadauerum capita, ac pedes ſimul uincire ſolitos fuiſſe, & celeritate ſumma, atque ioco, nulla habita locieratione, illa humare, & capræ cornu iuxta eorum caput admouer, ut egregios fortaſſe caprarum cuſtodes fuiſſe ſignificarent. Ordinis nunc ratio expoſtulat, ut de bicornibus ijs diſſeramus, quæ ſolidis donata ſunt cornibus. Bicornia ſolidis armata cornibus perpauca admodum ſunt, ne cornigeris nimis ponderoſa eſſent: quemadmodum etiam inania ſunt oſſa, mi nimis quibuſdam exceptis, quæ in manibus pręſertim, ac pedibus ad firmãdas neruorum, uel mauis tendinum propagines, molita eſt natura: hæc oſſicula ab anatomicis ſeſamina dicũtur, quippe quæ ſeſamo ſemini comparentur. Non me latet tamen, oſſa necnon uacua eſſe, ut in illorum ſinibus medulla reciperetur, qua recrearentur. Nec etiam me fugit, Galenum digitorum oſſa ob δυσπάθειαν ſolida uideri exiſtimaſſe in 1. de Vſu partium, ubi & dura, & denſa, & medullæ expertia ea appellat. Veſalius attamen lib. 1. interno quodam ſinu eiuſmodi oſſicula peruia eſſe cenſet: quod quidem nequaquam à Galeni doctrina abhorret. Siquidem Hippocratis locum explanans Gal. in lib. de Fracturis, ubi Hippocrates ait, pedes ac manus plurimis oſſiculis eſſe conflatos, hæc conſcripſit. *Dicit ergo utranque partem ex multis minimiſq; oſſibus conſtare. Nos autem adiungimus, & duris: quandoquidem medulla carent, caua minimùm ſunt, & à lapillis paruis non abhorrent.* Non igitur ſolida prorſus hæc oſſicula ſtatuit Gal. cùm minimùm caua dicat. Quocirca ne ulla ſit in eius uerbis inconſtantia, arbitrandum eſt, quòd quàmuis præcitato loco lib. 1. de Vſu partium, oſſa dura, denſa, & medullæ expertia eſſe affirmauerit, non propterea indicaſſe illa omni ſinu penitus carere: cùm poſſint eſſe & dura, & denſa, & medullæ expertia, quæcunque minimum caua ſunt: quod à Veſalio uiro

Marginal notes: De bicordibus ſolidis. — Cap. 15. — An digitorũ oſſa ſint inania. — Com. 2. Tex. 8.

 alioqui

De ceruorũ cornibus.

alioqui cordato neutiquam animaduerſum fuerat. Ceruo duntaxat cornuum ſoliditatem tribuit maximus Stagirita in III. de Partibus. *Ceruis duntaxat cornua tota ſolida, & decidua, tum utilitatis cauſa, vt onere leuentur, tum ex neceſſitate prę pondere.* Ex quibus philoſophi uerbis apparet, non modò ceruorum cornua ſolida eſſe, quinimmo & decidua, & cur decidant. Siquidem duas decidentiæ illorum cauſas proponit, finalem nempe, ut cerui inutili onere leuentur: atque materialem, ſcilicet ponderoſa grauitas eorum cornibus inſita. Idem confirmat Ariſt. lib. II. de Hiſtoria, inquiens. *Ceruo ex cornigeris uni cornua tota ſolida, cęteris caua quodamtenus, & mucrone demum concreta ſunt.* Et paulò infra. *Soli etiam ceruo cornua omnibus annis decidua, initio à bimatu: cęteris perpetua, niſi per vim aliquam amittant.* Ariſtotelem ſecutus eſt Plinius lib. XI. ſcribens. *Omnibus autem caua, & in mucrone demum concreta ſunt cornua: ceruis tantùm ſolida, & ſingulis annis decidua.* Attamen Ariſtoteli ipſa refragatur experientia. Etenim capreoli item cornua gerunt & ſolida, & decidua: licèt multò minora quàm cerui, quorũ intimior pars minus denſa, quã extima. Rectiùs autem iudicauit Albertus lib. III. de Animalibus, vbi hæc prodidit. *Adhuc autem multorum animalium cornua ſunt uacua, apud caput & ſuperius ſolida, præterquàm in ceruo, & habentibus cum ceruo naturam ſimilem, ſicut caprea, & hircoceruus, & huiuſmodi, quę in utroque termino ſunt dura, & ſunt multæ ramificationis. Adhuc autem nullum animal mutat cornua præter ceruum, & ceruina animalia.* Cùm ceruorum cornua tum ob ſoliditatem, tum ob illorum proceritatem grauia & ponderoſa ſint, ceruis natura curſus celeritate opem tulit, ut ſentit Ariſt. qui præallegato loco lib. III. de Partibus, exarauit. *Quibus autem cornua præ nimio exceſſu ſuperuacua ſunt, iis alterum auxilium natura adhibuit, ut ceruis uelocitatem. Grandis enim illa, & multifida cornuum magnitudo potiùs obeſt, quàm prodeſt.* Verùm (ut reor) natura ceruis non ob cornuum modò grauitatem, curſus celeritatem conceſſit, ſed potiùs quia quandoque cerui inermes & cornibus mutilati ſint: ut cùm ob armorum carentiam pugnare ac congredi non poſſint, fuga ſaltem, celeriq; pernicitate tum uenatorum, tum immanium beſtiarum moleſtias euitarent. Etenim quotannis cornua ceruis decidere ſcriptum reliquit Ariſt. ut ex præcitato loco lib. II. de Hiſtoria, ſatis conſtat: præterea lib. IX. eiuſdem operis hęc ſcriptis mandauit. *Amittunt ſingulis annis cornua menſe Aprili: quę cùm amiſerint, occultant ſeſe interdiu, idque opacis faciunt locis, ut muſcarum tædio uacent: paſcuntur per id tempus noctu, donec recipiant cornua,*

Cap. 2. Cap. 8. Cap. 37. Tract. 2 Cap. 2. Cap. 2. Cap. 8. Cap. 5.

Capreolorũ cornua ſolida eſſe & decidua.

Cur curſu cerui polleant.

quę

*quę primum quaſi cutc ueſtita, & hirtiuſcula emittunt: ſed cùm creuerint, Soli exponunt, ut excoquantur, & ſicceſcant. Vbi iam nihil attritu arborum, cùm ea ſcalpant, indolent, tunc ea relinquunt loca, conſiſi habere iam quo repugnare poſſint, cùm res exigit.* Theophraſtus item lib. 1. de Hiſtoria plantarum, ceruos quotannis cornua amittere ſcriptis mandauit. Vbi uerò grauia cornua deponant cerui docuit Ariſtot. eodem loco lib. IX. de Hiſtoria, inquiens. *Cornua etiam locis difficilibus amittit, & quà inueniri nequeant: vnde illud prouerbium ortum. Quà cerui amittunt cornua. Quaſi enim ſua miſerit arma, cauet, ne inermis reperiatur,* Inſuper Ariſt. ibidem ceruorum ſenium ex ramorum multitudine, in quos eorum ſpargantur cornua, nequaquã agnoſcendum eſſe docet: quinimmo dentium caritate, atque adminiculorum inopia coniectandam illorum ætatem eſſe ſuadet. Adminiculorum quippe uiduitate: cùm ſeniores cerui ijs careant prominentibus ramis, qui ante frontem exporriguntur ac prominent: hoſce enim adminicula nuncuparunt. Ampliùs de cerui cornuum ramis, & eorum propagatione ſic diſſerebat quoque philoſophus. *Anniculis nondum cornua naſcuntur, niſi quoad inditij gratia ſit initium quoddam prætuberans, quod breue, hirtumq; eſt. Bimis cornua primùm oriuntur ſimplicia, & recta, ad ſubularum ſimilitudinem, quamobrem ſubulones per id temporis eos uocant. Trimis bifida exeunt, quadrimis trifida, atque deinceps ad hunc modum procedit numerus vſque ad annum ſextum.* Ex quibus quidem uerbis Ariſtoteles geometrarum more, hoc inferebat corollarium. *Ab hoc ſimilia ſemper prodeunt, ita, ne ſit dignoſcere ætatem ramorum numero.* Satis itaque conſtat uanam eſſe illam vulgi opinionem, quæ annorum cerui numerum à ramorum ipſorum cornuum quantitate metitur. Quandoquidem ſi ſingulis annis ramus propagaretur (ita enim metaphorice cornuum propagines, ramos uocitari Ariſt. aſſeuerauit in Poetica) cùm maximè longæui ſint cerui, ijs profectò, quos ultra centum annos uixiſſe perhibent hiſtorici, proceris pinis ac quercubus multò grandiora cornua erupiſſent. Etenim quoſdam ceruos poſt centum annos cum aureis torquibus captos fuiſſe legitur, quibus eos Alexander ille magnus munificentiſſimè donauerat, ut & uitam, uitæq; ornamentum illos ab Alexandro recepiſſe poſteritas & agnoſceret, & admiraretur. Cæſaris item Auguſti ceruam, innumeris propemodũ luſtris à pacatiſſimo ipſius imperio deprehenſam fuiſse annalium monumentis mandatum fuit, quæ à uenatoribus nunquam iugulari potuerit, torque ſcilicet prohibente, temporis diuturnitate cute obducto, ubi hæc verba erant exarata. *Noli me tangere, quia Cęſaris ſum.*

Cap. 1.

Cap. 5.

Lib. 9. de Hiſtoria ca. 5.

De cornuũ cerui ramis

Eodem lib. 9. de Hiſtoria cap. 5.

Cap. 20.

De ceruorũ ætat

*ſum*. De eiuſmodi cerua Franciſcus Petrarca commemorans, ſic cecinit.

*Neßun mi tocchi, al bel collo d'intorno*
*Scritto hauea di diamanti, e di topatij,*
*Libera farmi al mio Ceſare parue.*

Inſuper in Compendio de geſtis Francorum, vbi Caroli uita enarratur, hæc habentur. *Accidit per hos dies res cognitu digna. Syluanetum Carolus venandi cauſa ſe contulerat, canum latratibus excitatur in fugam ceruus, æreum torquem collo gerere viſus eſt, quem uenabulis, aut ferro Rex prohibens, in caſſes, & retia compellit: erat in torque literis Latinis inſcriptum. Hoc me Ceſar donauit.* Amplius Agathoclea Syracuſanorum tyrannum uenando ceruum interfeciſſe fertur, aheneum monile circa collum geſtantem, cute uelatum, ijſce literis inſculptũ. διομήδης ἀρτεμίδι. Quem Princeps religioſè ac piè Dianæ ſtatim cõſecrauit. Atqui tam longam uitam uiuere ceruos, & tam annoſos eſſe atque uiuaces, ut circunfertur, Ariſtoteli haud prorſus compertum extitit, utpote qui lib. VI. de Hiſtoria hęc literis conſignauerit. *Vita eße perquàm longa hoc animal fertur: ſed nihil certi ex ijs, quę narrantur, uidemus: nec geſtatio, aut incrementum hinnuli ita euenit, quaſi uita eſſet prælonga.* Cæterùm Ariſt. circa ceruini cornu ramorum numerum erraſſe uidetur: quippe qui præallegato loco lib. IX. de Hiſtoria, ſtatuerit (ut facilè ex ipſius uerbis colligi licet) quinque ramos ad ſummum cornu cerui edere, neque in fundendis propaginibus hunc numerum ſuperare: cùm tamen conſtet in multò plureis ramos illud diſtribui. Etenim & ſenſus & experientia acerrimè reluctantur: hoc non ignorant uenatores, qui illis inſidiãtur: hoc minimè philologos latet, qui plerunque loca muſis dicata ceruorum capitibus, & aliorum animantium, quaſi naturæ trophæis exornant. Affirmatur Gulielmum Bauariæ Ducem bina cerui cornua habuiſſe, quorũ utrunque unum & uiginti ramos fundebat. Teſtatur Albertus ceruorum cornua in Germania ad undecimum uſque ramum diuidi: quod quandoque etiam in Italia contingere certum eſt, licet Italiæ cerui Germanis minores ſint. Vidi nanque in pœnu sereniſſimi Ferrariæ Ducis, ceruum in agro Ferrarienſi interfectum, magnitudine equo paulò inferiorem, cuius cornua adeò erant ramis referta, ut potiùs ſuperarent, quàm à Germanis ſuperarentur: ac proinde Maro cerui cornua ramoſa in Bucolicis nuncupauit.

Cap. 29.

Lapſus Ariſto. circa ramorum cornu cerui numerum.

Cap. 5

Eclog. 7

*Et ramoſa Mycon uiuacis cornua cerui.*

Quomodo Ariſto. tueatur.

Quocirca à uero hac in parte uidetur Ariſt. plurimùm declinaſſe. Niſi (ut ipſum uindicemus) dicamus eum per cornuum ramos maiores

res ac principaliores intellexiſſe, quippe qui in alios minores diſpergantur. Inſuper accuſant nonnulli Ariſtotelem, utpote qui Aphricã ceruos, aproſque gignere negauerit lib. VIII. de Hiſtoria: cui ſubſcri-
Cap. 28. pſit Plinius lib. item VIII. ſuæ naturalis Hiſtoriæ. Cùm tamẽ Aphri- Ceruos eſſe in Aphrica contra Ariſto. atque Pliniũ & quomodo uindicetur.
Cap. 33. cam & aprorum, & ceruorum feraciſſimam eſſe conſtantiſſimum ſit. Verùm ut ipſius Stagiritæ partes tueamur, dicendum uidetur, eiuſmodi animalia poſteriori æuo in Aphricam fuiſſe tranſlata; quod facillimè phaſianorum exemplo perſuaderi poterit. Etenim phaſiani à Phaſi prægrandi Colchorum fluuio, ubi copioſè redundant, in Græciam fuerunt tranſlatæ, & mox ex Græcia in Italiam tranſuectæ, tandemque paucis abhinc annis Hippolyti Eſtenſis ampliſſimi cardinalis iuſſu, in tranſalpinam Galliam tranſportatæ fuerũt: ubi in nemore aucupio maximè opportuno libertate donatæ ſumma fœcunditate ſuam propagarunt prolem: aiuntq; phaſianos nullibi (unico hoc lucu excepto) in tranſalpina Gallia reperiri, ob uolandi fortaſſe imbecillitatem, qua ſanè ad alia eius prouinciæ loca migrare nequeunt. Galliá phaſianis caruiſſe.

Hoc idemmet plantarum exemplo conſpicuum apparebit. Quandoquidem perſica in regione Perſiæ lethalia mala adeò edebat, ut comedentes necarent: in Aegyptum uerò traducta, omne Perſis uenenum reliquit, atque Aegyptijs hac migratione innocua extitit: huiuſce rei
Cap. 1. inter cæteros ſcriptores fidem facit Gal. in II. de Semine. Perſica mala inde in Italiam aduecta in maximis delitijs habebantur, ita ut Romæ olim, dum ipſa totius orbis imperiũ moderaretur, ſingula eius mala tricenis denarijs uenderentur. Quibus profectò exemplis facilè coniectari licet, uel ceruos ex Europa, Aſiaue in Aphricam fuiſſe tranſlatos, uel ipſosmet illuc tranando migraſſe Siquidem eos porrecto ordine, & præcedentium clunibus capita imponẽtes, maria gregatim tranſcendere fertur: in cuius rei fidem Plinij autoritas adduci
Cap. 32. poterit, utpote qui in VIII. ſcriptum reliquerit. *Hoc maximè notatur à Cilicia Cyprum traijcientibus.* Verumenimuero ſi quiſpiam fortaſſe adeò pertinax fuerit, ut ijſce non acquieſcat reſponſionibus, nec tamen iſte Ariſtotelem iure obiurgare poterit. Etenim in deſcribenda animalium Hiſtoria philoſophus, aliorum uerbis, relationibuſque fidem adhibuiſſe plerunque coactus fuerit, tum ob maximam regionum diſtantiam, quas ipſum peragrare oportuiſſet, tum ob breue anguſtumque humanæ uitæ curriculum: uix enim nati morimur. Inter cætera, quæ à naturalibus hiſtoricis de ceruis enarrantur, eos ſummopere ſymphonia oblectari ac mulceri referunt: quod quidem uenatores haud ignorantes cantu, ſibilo, paſtorumque fiſtulis ceruos alliciunt, atque eiuſmodi uerſutijs capiunt. Ceruum muſica delectari Ceruos aliaque animalia ſymphonia oblectari.

ctari comprobauit Pierius Valerianus lib. VII. Hieroglyphicorum, inquiens. *Sanè quo minus mirum ſit ceruum muſicæ modulos intelligere, apud Aelianum legitur eum Indicæ uocis callere ſonum, ſermonemq; percipere, neque alium quempiam ita facilè: quamuis Ptolemęo Philadelpho ceruus fuerit, qui Græcum idioma prorſus intelligeret.* Delphinus item ſymphoniæ cantu, præſertimque hydrauli ſono rapitur. Dantur & alia animalia harmonię auida. Quocirca Nicolaus Contarenus lib. I. de Perfectione rerum, hæc literis conſecrauit. *In bello etiam, & acie homines, & equi buccinæ, tubæq; cantu ad pugnandum acerrimè accenduntur. Quinetiam ipſę immanes beſtiæ tenentur cantibus, atque ijs flectuntur, & facillimè conſiſtũt: quod de equo, de urſo, de cane, de ceruo legimus.* Cap. 1.

Ceruarum prudentia.

Naturalem quandam ceruarum prudentiam in hinnulis tum edendis, tum educandis ualde commendauit Ariſt. in IX. de Hiſtoria, ubi Cap. 8 de cerua diſſerens, ait. *Cùm pepererit, inuolucrum primum excedit, mox ſeſelim herbam petit, quam cùm ederit, redit ad prolem.* M. Tullius tamen libro de Natura Deorum, hoc ante partum ab ipſa cerua fieri autumat. *Cerue ante partum perpurgant ſe quadam herba, quæ ſeſelis dicitur, aliter ſeſeli.* Ciceronis ſententiam ſecutus eſt Plinius lib. VIII. In Cap. 32 quibuſdam uerò Plinij exemplaribus legitur item ceruas poſt partum ſeſeli herba uti, & aro. Inſpecti ſunt quandoque cerui hederam cornibus innatam, ac germinantem geſtantes, ut Ariſto. lib. IX. de Hi- Cap. 5 ſtoria prodidit. *Captus iam ceruus eſt hederam ſuis enatam cornibus gerens uiridem, quę cornu adhuc tenello fortè inſerta, quaſi ligno uiridi coaluerit.* Idem affirmauit lib. de Admir. audit. Plinius item in in VIII. in Hiſt. 5. Cap. 32 mollioribus ceruorum cornibus hederam coaleſcere, dum ex arborum attritu illa experiuntur. Quod quidem non eſt adeò abſonum, ut prorſus repudiandum ſit. Etenim paſſim cernimus in parietibus, & maceriis helxinem nutriri, augeſcere, ſemenque edere: hinc apud Latinos muralis, muralij, & parietarię nomen ſibi uendicauit. Item capparem non modò in incultis naſcitur agris, ut affirmauit Theophraſtus lib. VI. de Plantarum hiſtoria: atque in cultis perinde ac ſe- Cap. 5 getes, & legumina, ueluti Plinius in XIX. teſtatus eſt, cuius adſtipula- Cap. 8. tor ipſa exiſtit experientia: uerùm etiam in collapſis ędificiorum parietibus, ruderibuſque, ut Romę uidere licet, pręſertim uerò circa Pacis templum. Conſpexi ego cappares parietibus helxines inſtar inhętentes, ubi & copioſos & odoratos flores expullulauerant. Nec herbas tantùm, quin & arbores à parietibus & ſaxis erumpere, atq; ex ipſis eſcas haurire uidemus; uti de caprifico ſatis conſpicuum eſt, de qua ſic cecinit Martialis.

Hederam in ceruorũ cornibus germinare.

*Marmora Meſſalæ ſcindit caprificus.*

Alias

Alias inſuper arbores, easque proceras parietibus paſſim innatas ſpectamus, eoq; magis ſi muri ad Aquilonem exporrecti ſint, ac ſenſim declinantes fuerint, cuiuſmodi quædam ſunt ciuitatum pomœria: ob eiuſmodi nanque ſitum aliqua humoris portio ab imbribus ſuppeditata, in illis coaceruatur, ut putreſcat. Quamobrem in quadã Ferrarienſium mœnium parte ad Boream vergente, non tantum ficus, quinetiam & iuglandes, & pomi, & cerasi fructiferæ inueniuntur: ita ut pomœria uideantur quodammodo in pomaria commigraſſe. Cùm igitur eiuſmodi plantæ à muris nutrimenta petant, quid prohibet hederam quoque è ceruorum cornibus germinare? præſertim cùm quàm libentiſſimè externis rebus adhæreat, & uegetandi ui acerrimè polleat, ſicciorių; oblectetur alimento. Vel dicamus inter ceruorum cornuum ſtrias, ſordes coaceruari, quibus hedera enutriatur. Nec fortaſſe à ueritate abhorrebit, illud de hedera in ceruorum cornibus germinãte exiſtimare, quod Iulius Cæſar Scali-

Exercit. 168. ger de Viſco frutice iudicauit lib. de Subtilitate, vbi ſic quærit. *Quomodo in duriſſima ligna ſubeat ita; ut ſibi findat corticem, ac ſine radice vnum cum illis fiat? Nam quamobrem non ſuper iuglande, olea, lauro, cupreſſo, larice? quando ſuper horum congeneribus, ijſq; æquè duris, aut etiam durioribus naſcitur: pyro, malo, ſorbo, pruno, cerro, quercu, terebintho, abiete, pinu, ilice. Etiam ſuper caſtanea uidimus.* Et paulò poſt ſubdit. *Nullo modo fieri potuit, ut in terebinthi corticem duriſſimum uitam, membraq; ſua infigere, atque inſinuare queat uiſcum. Sed à calore potiùs interno foto informata uiſci principia in ſucco ſibi connaturali: ab externo adiuta, atque euocata concreuiſſe, atque in plantam hanc adoluiſſe.* Haud ſecus exiſtimandum eſſe reor, in ceruorum nempe cornibus quoddam hederæ familiare latitare, à quo ipſa cornibus adhærens auidè mirificèque amplexata foueatur, atque illi nutrimenta ſuppetantur. Cerui extrahendis ſagittis dictamum utilem eſſe docuerunt,

Cap. 27. ut perhibet Plinius lib. VIII. ſcribens. *Dictamum herbam extrahendis ſagittis cerui monſtrauere percuſſi eo telo, paſtuq; eius herbæ eiecto.* Dio-

Cap. 31. ſcorides tamen lib. III. de dictamo diſſerens, iſtud aſcripſit capris, cùm dixerit. *Produnt in Creta capras ſagittis percuſſas, huius herbæ paſtu eas excutere.* Dioſcoridis ſententiam ſecutus eſt M. Tullius lib. II. de Natura Deorum, ubi hæc exarauit. *Capras auditum eſt in Creta feras, cùm eſſent confixę uenenatis ſagittis, herbam quęrere, quę dictamus vocaretur, quam cùm guſtaſſent, ſagittas excidere dicunt è corpore.* In-

In calce ter feras ceruos ruminare teſtatus eſt Ariſto. lib. IX. de Hiſtoria, inquiens. *Ex feris nullum adhuc ruminare conſtat, pręterquam ea, quę aliquando cum hominibus exigunt, ut ceruus: hunc etenim ruminare planum*

*eſt*. Cuius ſententiam quaſi interpretans Albertus lib. VIII. de Anima libus, aſſerit. *Nullum autem animal agreſte ruminare uidetur, niſi cree- tur ad figuram alicuius domeſtici ruminantis, prȩter ſolum ceruum, & ea, quȩ ſunt ſimilia ceruo, ſicut capriolus, & equiceruus.* Plinius lib. x. prodi- dit. *Ruminant prȩter iam dicta ſylueſtrium cerui cùm à nobis aluntur.* Plinium autem increpauit Pierius Valerianus lib. VII. Hieroglyphi- corum, inquiens. *Sed iam tempus eſt, ruminationis ſignificatum exequa- mur, ſi priùs tamen locum apud Plinium expenderimus, ubi de cerui ru- minatione loquitur, quem ſylueſtrium tunc ruminare, cùm à nobis alũtur, dicere uidetur, quaſi cicuratio ſit ruminationis cauſa. Sedenim, ut reor, uel aliquid deeſt, uel, quod adduci non poſſum, Ariſtotelem non expreſſit, qui eo probat argumento ceruos ruminare, quia idem faciunt alti à nobis. ait enim, ex feris ea tantùm ruminare nouimus, quȩ aliquando cum homini bus degunt, ut ceruus, hunc enim ruminare, manifeſtum eſt.* Cerui erant Dianæ dicati, cùm uenationi (ut exiſtimauit antiquitas) ipſa prȩeſſet.

Tract. 5. Cap. 4.

Cap. 78.

Cur Lunæ currus trahatur à ceruis.

Vnde cùm Luna à Diana neutiquam differret, niſi quòd illa cœli, & hæc nemorum incola eſſet, Lunæ currum ob pernicitatem, & candorem à duobus ceruis candore nitentibus tractum finxerunt ueteres. Quanta enim uigeant cerui fugacitate indicarunt quicunque pedum Achillis alacritatem, inde proueniſſe tradiderunt, quia ſub Chirone ceruorum medullis enutritus fuerit: ut ποδάρκης, καὶ πόδας ὠκὺς paſſim ab Homero uocitetur. Neque Dianæ tantùm, verùm & Milanioni, & Atalantæ heroibus ceruus ſacratus fuit, ut autor eſt

Vſus cornu cerui in medicina.

Pauſanias. Cȩterùm cornu cerui uarius eſt in medicina uſus: Gal. nanque lib. XI. de Simpl. med. ſcriptis mandauit cerui cornua, & capræ, tum ad candorem dentium, tum ad contrahendas mollitie titubantes gingiuas medicamentum maximè opportunum eſſe: ceruinũque cornu à medicis ſummopere commendari tradit, ab uſtione lotum, in dyſenteria, ſanguinis excreatione, cœliaco affectu, aurigine, atque oculorum fluxionibus curandis, ſanandis, & profligandis: quæ omnia ferè à Paulo Aegineta referuntur lib. VII. Scribonius Largus iuuenum ceruorum cornua, lanuginoſa adhuc cuticula operta, ſi crementur acerbiſſimis coli cruciatibus mirificè opitulari affirmauit. Dioſcorides item lib. II. docet, ceruini cornu elotum cinerẽ ueſicæ doloribus prodeſſe, fœminiſque uuluȩ fluxione laborantibus utile eſſe, necnon maxillarum à dentitione dolorem adimere: cùm prius eum in dyſenteria, ſanguinis excreatione, cȩliaco, ac regio morbis laudari tradidiſſet: crudi quoque cornu ſuffiti nidore ſerpentes

Cap. 3.

Cap. 58.

Ceruos & ſerpẽtes naturaliter hoſtes.

fugari teſtatus eſt. Etenim naturalem quandam inter ceruos atque ſerpentes obuerſari inimicitiam manifeſtum eſt, ratione cuius inueſti-

gant

gant cerui cauernas,ſerpentium domicilia, quos narium inſpiratione extrahunt, & pedibus conculcant, ut apud Nicandrum legitur: quam ingenitam cerui cum ſerpente diſcordiam hiſce uerſibus deſcripſit Lucretius.

*Naribus alipedes vt cerui ſæpe putantur.*
*Ducere de latebris ſerpentia ſecla ferarum.*

Quodnam verò cerui cornu magis ſalutare ſit, dextrum, ſiniſtrũ ve haud prorſus compertum uidetur, cùm in hoc ſibi ipſi nõ conſtet Ariſt. Siquidem lib. IX de Hiſtoria, dotes omnes ſiniſtro cornu, & li. de Admir. audit. dextro tribuit. Has diſcordantes philoſophi autoritates hoc pacto forſitan conciliari poterunt, ſi eum ibi de maris cornu, & hic de fœminæ locutum fuiſſe dixerimus: cuius hæc ſunt uerba. *Ceruas, quę in Epiro oriuntur, dextrum cornu defodere, ceu multa vtilitate prędìtum aiunt.* Plinius priorem Ariſtotelis autoritatẽ caſtigaſſe uiſus eſt ſic lib. VIII. *Dextrum cornu negant inueniri, ceu medicamento aliquo pręditum.* Quam ſanè ſententiam ab Ariſtotele (ut ſæpius ſolet, præſertim ubi de animalibus diſſerit) excerpſit, quippe qui lib. IX. de Hiſtoria, loco pluries citato, monumentis conſignauerat. *Cornu ſiniſtrum compertum eſſe à nemine adhuc fertur: occulit enim id, tanquam quodam medicamento prędìtum.* Nec ceruinum cornu modò ſalutare exiſtit, ſed & ipſius caro, ſi Platinæ adhibenda eſt fides, vt pote qui lib. de Honeſta uolupt. ſcriptum reliquerit. *Febrium morbos non ſentit hoc animal: hanc ob rem quidam Principes omnibus matutinis diebus ex hac carne deguſtare ſoliti, longo æuo febribus caruere.* Quod ſi ueritati conſentaneum eſt, iſtud aliunde profectò prouenire non poteſt, niſi à tota (ut aiunt medici) ſubſtantia, cùm ſenſibiles qualitates aliud perſuadere uideantur. Quandoquidem cerui caro haud facilè conficitur, modicè nutrit, atque melancholicum præbet ſuccum. Plinius itidem lib. VIII. affirmauerat eiuſmodi animal febrium moleſtijs haud eſſe infeſtum. Ceruos, ait Valerianus, in Diuinis literis hieroglyphicè ſignificare uiros non indignos, qui ad ſacra admittãtur, utpote ſerpentes, hoc eſt hæreticos, aſſiduè perſecuturos: & identidẽ apud Salomonem ex cerui imagine Chriſtum intelligi. Legitur in Pſalmis. *Vox domini præparantis ceruos: & reuelabit condenſa.* Vbi gloſſa interlinearis talis eſt. *Qui ſuperãt & repellunt uenenoſas linguas, opacitates illas librorum, & umbracula myſteriorum, ubi liberè paſcantur.* At communis gloſa hoc modo exponit. *Secundum hoc igitur per ceruos hic intelliguntur fructus de terra Neptalim ueloces ad matureſcendum præ alijs: ſicut ceruus uelocior eſt in curſu alijs animalibus, quæ quidem uelocitas fiebat diuina uirtute omnia producente, &c.* Tradit Eucherius

Marginalia (left): Cap. 5. Hiſt. 72 — Cap. 31. — Cap. 5. — Cap. de ceruo. — Cap. 8. — Pſ. 28.

Marginalia (right): Dextrũ an ſiniſtrũ cerui cornu ſalutare ſit. — Verborum Ariſt conciliatio. — De cerui carne.

rius ceruos latis cornibus coronatos, in Sacris literis tragelaphos nũcupari: hoſce autem ceruos platycerotas uocauit Plinius. Quæ ſanè Eucherij ſententia non uidetur ſatis tuta: nam tragelaphus Græcè, hircoceruus Latinè dicitur, cùm barba ac uillo ſimilis hirco ſit, in reliquis uerò cerui effigiem præ ſe ferat. Datur item Hippoceruus animal, anteriore parte equus, & poſteriore ceruus. Hippoceruum dono miſit Federicus primus Mantuæ Dux Franciſco Galliarum Regi. Mare, quod innumeris animaliũ generibus ſcatet, bicornibus haud carere compertum eſt: ſicut neque unicornibus egere, aſſeueratum fuit: inter quæ connumeratur locuſta, de cruſtatorum genere, quæ cornua bina, eaque procera ob oculos gerit, cuius mentionem fecit Plinius lib. IX. Cum hactenus de unicornibus, atque bicornibus diſputatum fuerit, congruum uidetur, ut pauca quædam de multicornibus adducamus, ne hæc noſtra præſens diſputatio diminuta ſit. Multicornia natura, uel arte comparantur, niſi mendax fortaſſe extiterit Plinius, qui lib. VIII. memoriæ tradidit. *Indicos boues unicornes, tricorneſq́*. Et in XI. prodidit. *Adeò ſequax natura eſt, ut in ipſis uiuentium corporibus feruenti cera flectantur, atque inciſa naſcentium in diuerſas partes torqueantur, & ſingulis capitibus quaterna fiant*. Reperiuntur arietes quatuor cornibus muniti, dantur & qui quinque, inueniũtur & qui ſex. Quamobrem quanta ſit naturæ laſciuia (ut Plinij more loquar) in procreandis cornibus, neminem latet. Verumenim uero eiuſmodi cornigera multicornia ad bicornia redigi poterunt, cùm ob materiæ redundantiam iſtud illis contingat, & de bicornium genere reapſa ſint. Quare de ruminantibus bicornibus ſatis diſputatum ſit.

Lib. 11. Cap. 37.

Mare bicornibus prædi ſum.

Cap. 30.

De multicornibus.

Cap. 21. Cap. 37

## SYNTAGMATIS QVINTI, FINIS.

DE

# DE CORNVVM, AC DENTIVM VIDVITATE,

## SYNTAGMA SEXTVM.

CORNIGERORVM fœminæ, uel cornibus uiduæ ſunt, vel minora geſtant cornua, ſicut etiam cætera illarum arma imbecilliora exiſtunt, quàm maribus inſint: mares etenim fœminis & robuſtiores, & audaciores ſunt, ut
Cap. I. cenſuit Ariſtot. lib. III. de Partibus, ubi inferebat. *Quapropter in ceruorum genere cùm maribus cornua ſint, fœminis deſunt. Vaccarum etiam cornua, & taurorum inter ſe diſtant: quod idem etiam in peco-*
Cap. 3. *re cernimus. &c.* Siquidem in II. de Gen. animal. ſcriptis manda-
Cap.6. uit. *Fœmina enim quaſi mas leſus eſt.* Et lib. IIII. eiuſdem operis. *Et ſexum fœmineum quaſi leſionem naturalem, & detrimentum eſſe putandum eſt.* Cornuum itaque mendicitas in fœminis aliunde prouenire nequit, preterquam à frigidiori temperatura, qua ipſæ præditæ ſint: quod quidem Hippocratis teſtimonio perſuaderi poſſe ui- Fœminas cornibus uacare ob frigiditatem.
Cap.10. detur, qui lib. de Aere, Aquis, & Locis, ſcriptum reliquerit, in Europa circa paludem Mæotidem Scythas degere, Nomades uocatos, propterea quòd in curribus habitantes domibus careant, quos trahunt boues à cornibus inopes: cuius ſanè cornuum egeſtatis ipſe rationem reddens, ad immenſam illius regionis frigoris acerbitatem retulit. Hoc idemmet Ariſtotelis ſuffragio ſtabiliri poterit, quippe
Cap.28. qui literis conſecrauerit in VIII. de Hiſtoria. *In Aphrica arietes ſta-*

*tim cornigeri generantur, nec ſolùm mares, ut Homerus ſcribit: ſed etiã fœminæ. Contra in Ponto per prouinciam Scytharum nullis cornua enaſcuntur.* Hoc autem prouenire nequit, niſi quia Aphrica ęſtuet, & algeat Scythia: nimia enim frigiditas natiuum labefactat calorem. Inde nonnunquam intolerabili frigoris acerbitate & plantæ & animalia intereunt. Ob frigidiorem igitur corporis temperaturam in amplo cornigerorum genere fœminæ vel inermes ſunt, uel cornua edunt minora. Hinc itidem humanæ ſpeciei fœminę, & eunuchi imberbes ſunt. Alexander tamen lib. 1. Probl. ſpadones glabros eſſe cenſuit, quia iuſto humidiores ſint, ſicut & præhumida loca herbas non edunt. Sin uerò mulieres extiterint, quæ calidiori natura ad marium temperiem declinauerint, hæ haud prorſus glabrum: quinimmo maris modò quandoque hirſutum aſperumq; obtinebũt mentum. Inde eiuſmodi mulieres, cùm uirorum naturam oleant, viragines nuncupatæ fuerunt. Quaſdam item oues cornutas cernimus, utpote aliis calidiores: quod montanis potiùs, quàm campeſtribus contingere ſolet. Etenim lib. de Attenuante uictu Gal. memoriæ propagauit. *Animalia enim, quę in ſtagnis, ac locis aquoſis, & campeſtribus degunt, humidiora ſunt, atque excrementoſa: quæ uerò in montibus viuunt, omnia temperatura ſunt ſicciora, ac calidiora, eorumq; caro minimùm eſt pituitoſa, ac lenta.* Idem met in ceruorum genere accidit, in quo nonnunquam cornigeræ ceruæ conſpectæ ſunt: cuius rei fidem faciunt ceruæ cornua, quæ laborato argento ornata Dux Bauariæ conſeruat: ceruæ quoque cornua Auguſtæ Vindelicorum apud Antonium Fuggerium inueniebantur, quorum ſingula (vt teſtatur Matthiolus) in ſex erant diſperſa ramos. Quinti Sertorij ceruam, quam fatidicam eſſe Hiſpaniæ gentibus perſuaſerat nobiliſſimus Imperator, candida cornua habuiſſe legitur: conſimilis huic forſitan fuerit Iphigeniæ cerua. Ceruam cornibus prędıtam deſcripſit Pindarus: ubi interpres inquit talem illam fuiſſe, quæ Telephum lactauerit: quod etiam ab Anacreonte conceditur. Comprobabat autem idem Pindari interpres quaſdam ceruas cornutas eſſe, elephantorum exemplo, quorum Aethiopici & Lybici tam mares, quam fœminæ dentibus inſtructi ſunt: cùm tamen Indiorum (vt obſeruatũ fuit ab Amytiano) fœminæ dentibus vareet. Franciſcus Petrarcha itidem candidam ceruam aureis cornibus armatam, ornatamq; poëtico more finxit, Lauram ſuam intelligens.

Cur mulieres imberbes & eunuchi.

Probl. 6

Cap. 8.

Ceruas quaſdã cornutas

*Vna candida cerua ſopra l'herba*
*Verde m'apparue con duo corna d'oro.*

Hoc inſuper Ariſtotelem non latuit, qui lib. de Admir. audit. chartis

Hiſt. 5. tis prompſit, quòd in Achaia nonnullæ ceruæ reperiuntur cornigeræ: atque etiam de Epini ceruis fœminis commemorauit. Veruntamen ceruæ plerunq; ſunt cornibus uiduæ, cuius inopiæ rationem attulit Ariſt.lib. I I I. de Partibus, inquiens. *Cur ceruæ cornibus careant, cùm dentes ſimiliter habeant, atque mares, cauſa eſt, quòd eadem ſexus utriuſque natura, & cornigera eſt: ſed fœminis adempta ſunt cornua, quoniam ne maribus quidem utilia ſint: ſed uirium meliorum beneficio mares minus offenduntur.* Quare cùm ceruæ identidem cornibus vacent Ariſt. in Poëtica, de obiurgationibus in poetas diſſerens, qui quidem accurati imitatores actionum eſſe tenentur, ait. *Leuiùs enim fuerit, ſi ceruam cornua non habere ignorauerit, quàm ſi non bona imitatione deſcripſerit.* Atqui obiiciet quiſpiam, quì fieri poſſit, ut cerui cornua edant, & magna, & ſolida, & ramoſa, & quotannis decidua: attamen eorum fœminæ plerunque ne cornuum quidem ullum, uel minimum præmonſtrent ueſtigium. Nanque cùm in maribus tanta cornuum redundet materia, non uidebatur profectò à ratione abhorrere, ut & in fœminis aliqua ipſius portio (minor certè) reperiretur etiam: præſertim cùm utriuſque ſexus eadem natura uideatur, ex Ariſtotele loco nuper adducto lib. I I I. de Partibus. Cui difficultati ſic ſatisfaciendum iudicarem, hoc nempe totum immenſæ ceruorum caliditati protinus aſcribens, quæ à calidiſſimis ipſorum teſtibus effluens, in uniuerſum corpus diſpenſetur. Etenim nimia caliditas ſanguinem fœculentum reddit, qui materiam ſubinde cornibus ſuggerit. Quocirca ſi anniculi cerui caſtrentur, haud cornuti fiunt: at uerò ſi iam eruperint cornua, teſtium amputatione ampliùs illis nec decidunt, nec item augentur: quod ab Ariſtotele promulgatum fuit & I I I. & I X. de Hiſtoria. Quandoquidem cùm abſcinduntur teſtes, innatus calor uſqueadeò labefactatur, vt quodammodo torpeat. Hanc teſtium uim ſatis expreſſit Gal. lib. I. de Semine, in hoc Ariſtotelem acriter obiurgans. *Videturne tibi, quemadmodum telis planè, ita ſeminarijs vaſis teſtes appenſi fuiſſe? an potiùs, quantum ad vſum attinet, ad ipſum cor propè accedere? frigeſcunt enim, qui eos amiſerint, altera inſiti caloris origine priuati: omneq; ipſis corporis robur collabitur perinde, ac ſi ſenes fuerint: neque latæ uenæ, neque ſanguis floridus eſt: arteriæ etiam parum & imbecilliter, ſicut ſenibus pulſant. Vnde patet teſtes animalibus, & roboris originem eſſe, & caliditate multa totum corpus perfundere. Atque idcirco qui ipſis priuantur, depiles non modò mento, ſed toto etiam corpore euadunt: paruasq; (vt dictum eſt) non ſecus, ac mulieres uenas habent: ac quaſi aliud quippiam magis quàm animalia ſint, nulla venereorum libidine afficiuntur: ut in* hoc,

Marginal notes (left): Hiſt 72 — Cap. 2. — Cap. 23. — Cap. 2. — Cap. 9. — Cap. 50 — Cap. 15.

Marginal notes (right): Cur ceruæ cornibus careant. — Obiectio. — Solutio. — à teſtibus profundi caliditatem.

*hoc, uel corde ipſo ampliùs habeant teſtes, quòd pręterquam quòd caliditatem, & robur animalibus exhibent, generis etiam perpetuitatis in cauſa ſunt.* Hæc Galeni verba nunquam lego, quin mihi ſe offerat Terentianus eunuchus, cuius tetrum aſpectum Pythias ſic deſignabat. Act.4. Scena.3

*Hic eſt uetus, uietus, veternoſus, ſenex,*
*Colore muſtellino.*

Inſtantia. Attamen inſtare quiſpiam poſſet, ceruos, quia meticuloſi ſint, frigidos arguens: quod Lucretius item iiſce carminibus luculenter indicauit.

*Eſt & frigida multa comes formidinis aura,*
*Quę ciet horrorem membris, & concitat artus.*

Atque mox hoc ſic ceruis aſciuit.

*At ventoſa magis ceruorum frigida mens eſt,*
*Et gelidas citiùs per viſcera concitat auras,*
*Quæ tremulum faciunt membris exiſtere motum.*

Solutio. Qui ſcrupulus ſic tollitur, quippe frigidiuſculum cor obtinent cerui, ac proinde timent. Vnde Achilles apud Homerum iratus Agamennonem, tanquam ceruino corde pręditum, increpat. Sedenim calidiſſimos teſtes ſortiti ſunt cerui, à quibus quantum caloris uniuerſo corpori impartiri poſſit, ex Galeno iam habitum eſt. Ceruos calidos eſſe Diuinæ aſtipulari uidentur literæ, vbi pſalmographus immortalitati tradidit. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Calidiora enim animalia magis ſitiunt. Verùm negocium faceſſit, cur ſi ceruorum hinnuli caſtrentur, cornua amplius non edunt: ſin autem uitulis eximātur teſtes, cornua oriuntur? An quia ob teſtium inopiam magis cerui, quàm boues refrigerantur, cùm calidiores habeant partes generationi deſeruientes: cuius rei inditium ſit, ſumma eorum ad libidinem procliuitas. Etenim admodum ſalaces ſunt cerui, ut teſtatum reliquit Ariſt. lib. vi. de Hiſtoria, ubi autumat, quòd eorum caro libidinis tempore uitiatur, ac quaſi hircina fœtet: & quòd cùm fœminas impleuerint, propter graueolentiam ſeparantur: quòdq; ſolitarij ſcrobes fodiunt: ac poſtremò quòd illorum facies aſpergine, hircorum modo, nigricet. Ex quibus omnibus, ceruum maximè libidinoſum eſſe, demonſtrari arbitratus eſt Stagirita. Quamobrem ceruos necnon cicures, atque in uiuariis manſuefactos, coitus tempore uſqueadeò libidinis rabie ſæuire (uecordia quamuis ſint animantia) cernimus, ut ipſos petulantiſſimè inuadant homines, eoſq; ferire audeant, quos mirum in modum uereri ſoliti fuerint. Inde factum eſt, ut qui mulieroſum hominem notare uellent, cer-

Pſal.41. Obiectio. Solutio prima. Ceruos calidiſſima habere genitalia. Ceruorū uirulentia. Cap.27.

uum

num exporrecto genitali pingerent. Vel dicamus, quòd cornua edunt iuuenci, quippe qui calidiorem cordis ſortiti ſint temperaturam, quàm cerui: quamobrem innatus iuuencorum calor, teſtium amputatione minus labefactatur, quàm ceruorum, quibus modica ineſt cordis caliditas. Cæterùm cùm cornigera omnia inciſoriis ſuperioris maxillæ dentibus denudata eſſe determinatum ſit, Galeni locus ſcrupulum haud leuem incutit, utpote qui lib. VI. de Anat. adminiſt. prodiderit. *Iam cornigeris ſuperiores dentes magna ex parte abeſſe nouimus, ut quibus terreſtre capitis partium recrementum in cornua abſumatur.* Si igitur cornigera magna ex parte dentibus ſunt ſpoliata, dantur ergo & dentibus munita. Putarem ego ſic locutum fuiſſe Galenum ob quandam philoſophicam modeſtiam, quaſi ipſe propoſitionem uniuerſalem pronuntiare ueritus fuerit, cùm ea, quę animalibus accidunt, frequentiùs inſtabilia ſint, atque ſæpiùs titubent. An dicendum eſt, quòd illud *magna ex parte* neutiquam cornigeris referendum ſit: nimirum quòd cornigera magna ex parte dentibus careant: ſed potius ad terreſtre capitis recrementum, quod identidem in cornua abeat: quandoque uerò nequaquam, ut de camelo conſtat, qui & cornibus, & dentibus uacat. Tertia adhuc addatur reſponſio, quæ talis ſit, quòd illud *magna ex parte* applicandũ ſit ad uerbum nouimus: ita ut medicorum iſte coryphæus tradere uelit, ſe miniſteriis anatomicis in pluribus cornigeris adminiſtratis, comperiſſe illa magna ex parte ſuperioribus dentibus orbata eſſe, cùm in cunctis nondum anatomen adminiſtraſſet. Prima tamen ſolutio planior eſt, reliquæ uerò duæ totam perturbant ſententiam, & tortuoſæ exiſtunt: ſecunda autem tertiam uiolentia ſuperat, cùm maiori extorſione uerba confundat. Verum cur ſuperior potius quàm inferior cornigerorum maxilla dentibus fuerit deſtituta, gemina aſſignari poterit ratio, altera à commodo, altera uerò ab utili exprompta. Ob commoditatem ſanè hoc machinata eſt ſolers natura: quippe cùm à maxillis cornuum materia peti opus eſſet, hæc ob uiciniam promptiùs & expeditiùs à ſuperiori ſuppeditari potuit. Quare malæ potius (ita enim ſuperiorem maxillam uocauit Celſus lib. VIII.) quàm maxilla dentibus caruere. Quòd autem ex dentium materia cornua conflentur, hæc Ariſtotelis patefaciunt uerba in III. de Partibus exarata. *Quamobrem cornigerorum nullum utrinque dentatum eſt: ſuperne enim primores dentes non habent: quippe cùm natura hinc adimento addiderit cornibus, & alimentum, quod in eos dentes digeratur in cornuum incrementum abſumitur.* Hocmet ſancitum fuit à Galeno loco præcitato lib. VI. de Adminiſt. anat. Inde Ariſtot.

[Margin notes: Solutio ſecunda. — Dubitatio. — Cap. 8. — Solutio prima. — Solutio altera. — Tertia ſolutio. — Cur ſuperior potius maxilla dẽtibus caruerit. — Cap. 1. — Cap. 2. — Cap. 3.]

in IIII. Analyt. ad cornua habere dentium inopiam conſequi aiebat. Nec relinquitur ulla dubitandi anſa, qui fieri poſſit, ut cornua ex dentium materia conſtituantur: cùm tamen Ariſtot. lib. II. de Gener. animal. ea ex cute, non ſecus ac ungues, atque pilos oriri aſſeuerauerit. Etenim cornua tum ex cute, tum ex dentium materia gignuntur: atque idcirco ſtatutum fuit à nobis, magis propinquam cornuum materiam oſſeum eſſe atque neruoſum excrementum. Vel cornua ex cute oriri dicuntur, quia cutis extrinſecus illa germinet: ſicut & pili ab ipſa cute ortum ducere uidentur, cum eorum tamen materia fuliginoſa exiſtat. Ob utilitatem uerò hoc itidem à natura excogitatum fuit. Quandoquidem cum inferior ruminantiũ maxilla ſola ciatur, maximo ſanè eiuſmodi animantibus detrimento fuiſſet, ſi hæc dentium egeſtate laboraſſet. Etenim animalia cuncta infimam exagitant maxillam, unico tantum excepto fluuiatili crocodilo, à quo ſuperior mouetur, ut ait Ariſt. in III. de Partibus. *Cætera omnia maxillam mouent inferiorem: crocodilus fluuiatilis unus ſuperiorem*. Nec non hoc idem affirmat lib. III. de Hiſtoria. Veruntamen locuſtarum extat genus, quod ſuperiorem maxillam impellit. Quamobrem quod ab Ariſtotele dicitur, de animalibus ſanguine præditis intelligendum eſt: minimè uerò de exanguibus inſectisq; cuiuſmodi ſunt locuſtæ, quæ item metaphoricè magis quàm uerè, maxillis inſtructæ dicuntur. Superior itaque ruminantium maxilla dentibus deſtituta fuit: nam quemadmodum ex Ariſtotelis ſententia loco nuper adducto lib. IIII. de Partibus, crocodili fluuiatilis ſuperior mala, cùm moueatur, manus officio fungitur: ita quoque nos dicere poterimus humiliorem maxillam ruminantibus manus uſum præbere, cùm & ipſa ſit, quæ motum faciat, altera quieſcente. Infima ergo ruminantium maxilla eſt tanquam manus, quæ alimenta apprehendat, & tanquam gladius, qui illa incidat. Quapropter ſi ruminantia eminentiorem cierent maxillam, crocodili more humilior dentibus denudata eſſet: uel ſi crocodilus ruminaret, infimam malam dentibus deſtitutam obtinuiſſet. Proinde cum eiuſmodi crocodilus ſuperiorem ſolus impellat maxillam, & cætera animantia inferiorem, Ariſtandrus Telmeſius os domus hieroglyphicum eſſe ſtatuens, ſuperiores dentes domeſticos ſignificare, & inferiores alienos innuere, utpote in mobili maxilla infixos, aſſeruit. Verum cum de fluuiatili crocodilo à nobis facta ſit mentio, quandam de illo hiſtoriam nunc referre non grauabor, quam Ariſtot. in opuſculo de Re familiari recitat, ubi de Cleomene Alexandrino Aegypti Rege loquens, ait. *Idem dum naui per eam uehitur*

[Right margin: Cap. 9 Tex. 86. — Cap. 4. — Cap. 11. — Cap. 7. — Cap. 11 — Hiſt. 33]

[Left margin: Solum crocodilum fluuiatilem ſuperioré ciere maxillá. — Crocodili hiſtoria.]

*bitur præfecturam, in qua pro Deo colitur crocodilus, raptus eſt unus ex pueris eius: conuocatis igitur ſacerdotibus, dixit, cùm ipſe prior læſus eſſet, uelle ſe crocodilos ulciſci. Itaque uenationem eorum imperauit: at ſacerdotes ne ipſorū Deus ludibrio haberetur, argenti ſummam quantamcunque cogere potuere, illi attulerunt. Itaque ille quieuit.* Aegyptus Nilo irrigata cum fluuiatilibus plurimum ſcateat crocodilis, datus fuit adagio locus, quo Areoſtus in Celta Furente uſus eſt.

Cant.4.

*Portar, (come ſi dice) à Samo vaſi*
*Nottole à Atene, e crocodili à Egitto.*

Conſtitutum igitur eſt, cur cornigerorum ſublimior potius, quàm infimior maxilla dentium uiduitate laborauerit. Neque obſtat Plinij inſtantia, quam adducit lib. XI. dicens. *Qui putant eos in cornu abſumi facilè coarguuntur ceruarum natura, quæ neque dentes habent, ut neque nares, nec tamen cornua.* Eiuſmodi nanque ſic diluitur obiectio, ceruæ quippe frigidioris temperaturæ ſunt, ratione cuius cum ſanguinem torrere nequeant, idoneam itidem cornuum productioni materiā ſuggerere non ualent: at mares cum ob immenſam teſtium caliditatem, per uniuerſum corpus diffuſam, calidiſſimi ſint, ſatis copioſam cornibus materiam ſuppeditant. Inter Aethiopiæ cornigera à Plinio lib. VIII. pegaſi recenſentur. *Pennatos equos & cornibus armatos, quos pegaſos uocant.* Fabuloſum an ſit quod de cornutis Satyris, Faunis, atque Syluanis circunfertur, equidem me latet: ſin uerò commentitium, talis ſit fabellę allegoria. Nam cum ex priſcorum ſententia hæc nemorum numina ſenſus illecebris raperentur, genio indulgentes homines & corporeis uoluptatibus obrutos in ſyluestres beſtias migraſſe inſinuatur. Inde caput plurimorum ſapientum iudicio mentis domicilium cornibus turpatur. Quandoquidem niſi mens mundani huiuſce microcoſmi regina, rectè ſibi cōmiſſum imperiū adminiſtrauerit, atq; ſeditiones inteſtinas inter ciues pullulātes (hoc eſt inferiores vires) ſedauerit, improbo eorū tumultu uſqueadeò cōtaminatur, ut ſerua fiat. Quapropter flagitioſis criminibus mēs polluta, omniq; dedecore maculata cornibus turpiſſimè coronatur: inferiores autē partes hiſpidæ horridæq; fiunt, cùm humiliores animæ noſtræ uirtutes recto rationis iudicio reluctantes, ferinæ potiùs quàm humanæ ſint. Dixi uerò me nō ſatis exploratū habere, an ſcilicet in hac ampla naturæ rerum uniuerſitate Satyri reperiantur. Etenim apud Plinium lib. VII. legitur. *Sunt & Satyri Subſolanis Indorum montibus, Cartadulorum dicitur regio, perniciſſimum animal tanquam quadrupedes tam rectè currentes, humana effigie, vt propter uelocitatem, niſi ſenes, aut ęgri non capiantur.* Et lib. VI. de promontorio loquens

Cap. 37 — Cap. 21. — Allegoria Satyrorum. — An dentur Satyri. — Cap 2. — Cap. 30.



quens

quens, quod Heſperionceras uocatur iuxta Aethiopas, & Heſperios confine Aphricæ, ait. *Quidam & in eo tractu modicos colles amœna opacitate ueſtitos Aegypanum Satyrorumq; produnt.* Pauſanias inſuper refert, ſe ab Euphemo probatæ fidei uiro aliquando audiuiſſe, cùm in Hiſpaniam nauigaret, aduerſa tempeſtate ipſum in exteriorem Oceanum fuiſſe impulſum, atque ad inſulas quaſdam deſertas, Satyrorũ uocatas, perueniſſe: ubi eas homines ferino trucique aſpectu ſylueſtres inhabitarent, corporibus hirtis, pilorum colore ſubrufo, caudis equina penè maioribus præditi: qui ocyus ad littus accurrẽtes, informemque ſtridorem emittentes, in fœminas naui illa aduectas adeò furioſi inuaderent, ut ægrè etiam cæſi flagris abigi, ſummoueriq; poſſent. Veriti nautæ ne quid indignum paterentur, inhibita naui procul in anchoris ſteterunt: barbaram autem quandam mulierem in littus expoſuerunt, in quam ſinguli mox petulantiſſimè debacchantes per omnia corporis caua libidinem exercuerint. De hirſutis dæmonibus meminit Eſaias, quos nonnulli Incubones uel Satyros, aut quoſdam ſylueſtres homines putauerunt. Maximus Tyrius Midæ fabulam deſcribens, qui Satyrum per inſidias ceperit, à quo cuncta aurea fieri impetraſſet, ait. *Satyrum ebrioſum dæmonem, infuſo in fronte mero captum.* Ex Adamantij ſententia hircus diaboli ſymbolum eſt: inde receptum, ut dæmoni paſſim cornua aſcribantur. Vel dicamus, quòd quamuis dæmones ex communi Theologorum conſenſu ſpirituales ſubſtantiæ ſint, naturaleſque dotes infauſta ſua illa rebellione non amiſerint, ſed diuinæ tantùm gratiæ iacturam fecerint: pictores tamen, quibus fingẽdi nunquam fuit interdicta poteſtas, finxere cornutos, non modò ad terrorem aſpicientibus incutiendum, quinimmo ut, quantum illis detrimento extiterit ſuperbiæ flagitium, pateſcat: quippe qui interea dum inani gloria ſublimiores ſedes affectarent, in caliginoſum aerem atque humiliores abiſſos incomparabili calamitate detruſi ſint. Etenim cornua petulantiam atque uiolentiã ſignificare ſatis compertum eſt. Horatius Flaccus lib. III. Carm. amphoram uini alloquens, ſic canit. Ode. 21.

Cur dæmones cornuti pingantur.

Cornua petulantiã denotare.

*Tu ſpem reducis mentibus anxijs,*
*Vireſq;, & addis cornua pauperi,*
*Poſt te neque iratos trementi*
*Regum apices, neque militum arma.*

Ouidius item lib. I. de Arte amandi.

*Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos:*
*Cura fugit, multo diluiturq; mero.*
*Tunc ueniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit*

Tunc

*Tunc dolor, & curæ, rugaq́ʒ frontis abit.*

Poëtæ necnon Hetruſci cornua ſuperbiam indicare demonſtrarunt: Franciſcus enim Petrarca hæc dulci modulatus eſt auena.

*Hor perche humana gloria ha tante corna.* Et alibi.
*Contra tuoi fondator alzi le corna.* Et alto itidem loco.
*Preſe ha già l'arme, per fiaccar le corna*
*A Babilonia.*

In Diuinis inſuper literis cornua inanem iactantiam denuntiare
Pſal.74. manifeſtum videtur, in pſalmis nanque immortalitati traditum fuit. *Dixi iniquis nolite iniquè agere: & delinquentibus nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu ueſtrum: nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.* In cuius pſalmi calce cornua non modò pro intollerabili ſceleratorum hominum iactantia capiuntur, quinimmo & pro auguſtiſſima Saluatoris noſtri poteſtate, ubi Propheta ſub ipſius Dei numine loquens, ſic pſalterio concinuit. *Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iuſti.* Hoc eſt Chriſti, qui iuſtus anto-
Cap.53. nomaſticè dicitur, cùm alios iuſtificet. Eſaias. *In ſcientia ſua iuſtificabit*
Cap. 1. *ipſe iuſtus ſeruos ſuos multos.* Lucas. *Erexit nobis cornu ſalutis in domo David pueri ſui.* Vbi Zacharias diuina luce afflatus cornu nomine Chriſtum intellexit. Non me fugit (ut ad inſtitutum reuertamur) pictorem olim fuiſſe, qui dæmonem honeſta forma decoratum pingeret, de quo Areoſtus in Satyris ſic cecinit.

Saty. 1. *Fu già un pittor (non mi ricordo il nome)*
*Che dipingere il diauolo ſolea*
*Con bel uiſo, begl'occhi, e belle chiome.*
*Nè piè d'angel, nè corna gli facea,*
*Nè facea ſi leggiadro, nè ſi adorno*
*L'Angel di Dio mandato in Galilea.*

Hallucinantur quicunque Moyſen ideò cornutum Iudæis apparuiſſe putauerint, quia concinnos capillos, Lyſimachi Regis more, geſtaret. Quippe Moyſi cornua nihil aliud erant, niſi radij ab eius coruſca facie rutilantes: radius enim & cornu apud Hebræos æquiuoca ſunt. Falluntur item & qui radios ab eius facie micantes duorum ſpeciem cornuum præ ſe tuliſſe exiſtimauerint. Siquidem tota eius facies omniquaque rutilabat, cuius inditium ſit, quia totam uelaret Moyſes. Inde errant pictores, qui eum cornuta potius, quàm radiata
Cap.34 facie pingunt. Hæc omnia pateſcunt ex ijs, quæ habentur in Exodo, ubi ſcribitur. *Cumq́ʒ deſcenderet de monte Synai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Iſrael cornutam Moyſi faciem, ti-* Moyſes cur cornutus.

*muerunt*

*muerunt propè accedere, vocatiq́ ab eo reuerſi ſunt, tam Aaron, quàm Principes ſynagogæ: & poſtquam locutus ad eos, uenerunt ad eum etiam omnes filij Iſrael, quibus præcepit cuncta, quæ audierat à domino in monte Synai: impletiſq́ ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam, qui ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret; & tunc loquebatur ad filios Iſrael omnia, quæ ſibi fuerant imperata, qui uidebant faciẽ egredientis Moyſi cornutam eſſe: ſed operiebat ille rurſum faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.* Vnde in codice Hebręo legitur. *Et non cognouit quòd cornuta eſſet lux facie ſua.* Cornutum enim eſſe apud Iudæos ſplendeſcere ac rutilare ſignificat: quem uultus Moyſi ſplendorem, gloriam uocauit Apoſtolus II. ad Corinthios. Gentiles inſuper Cap. 8.
Pana binis cornibus hirtis coronatum pingebant, ut Solis ac Lunæ ſymbolum nobis proponerent. Verumenimuero cornutum eſſe non ſplendorem tantummodo & decus ſignificat, ſed & dedecus ac contumeliá apud Italos, utpote qui eos homines cornutos appellare cõſueuerunt, quorum uxores adulteræ ſint: hoſce etiam homines capros nuncupant, quod inuentum, Valeriano teſte lib. x. non eſt adeò nouum, ut nullam ſapiat antiquitatem: erat enim apud ueteres inhoneſtæ uxoris mariti hieroglyphicum: atq; adagium ferebatur in ſpurios, ſi de patre quis quæritaret, ut τῆς μυτέρος ὡς αἴξ, reſponderent, Matris ſcilicet uti capra, cùm de patre non conſtaret: propterea ꝙ capellis paſtores nullum ducem conſtituunt, ut ait Ariſto. uel ut ſuos ouibus arietes, ſuos bubus tauros. *Sunt* & qui eiuſmodi dicterium inde emanaſſe putauerint, quòd hirci ſuas fœmellas, etiam ſi ſpectauerint, iniri facilè patiantur. Aelianus tamen hircos riualitatis affectum ſentire teſtatur exemplo Grathis paſtoris Calabri, cuius dormientis cerebrum caper cornibus eliſerit, cùm ab eo deprehenſus eſſet, cum amata capella uenerea copula miſceri, de quo Probus I. Georgicorum. Animaduertit item Valerianus Becchum antiquiſſimam eſſe dictionem, qua eiuſmodi notæ homines appellentur: hæc uerò uox caprarum propriè atque hircorum eſt. Verùm, ut prolixitatem euitemus, lectorem ad Valerianum relegamus. Atque huic ſyntagmati de dentium ac cornuum caritate finem imponimus.

## SYNTAGMATIS SEXTI, FINIS.

DE

# DE RVMINANTIBVS, CORNVVM EXPERTIBVS.

## SYNTAGMA SEPTIMVM.

RVMINANTIA cornuum expertia, uel cornuum inopia tantùm laborant, cuiuſmodi eſt ſcarus: uel ſimul & cornuum & dentium egeſtate opprimuntur, ut camelus, de quo ſic me Cap. 1. minit Ariſto.lib. 11. de Hiſtoria. *Quę enim cornua gerunt, hæc non vtrinque dentata ſunt, quippe quæ primoribus maxillæ ſuperioris careant dentibus: quanquam ſunt nonnulla, quę & cornibus vacent, & vtrinque dentata non ſint, vt cameli.* Cap.37. Plinius & ipſe lib.xi. inquit. *Cameli ſoli ex ijs, quæ non ſunt cornigera, in ſuperiori maxilla primores non habent.* Quo in loco Plinius Scythiæ boues, de quibus cõmemorauit Hippocrates, ignoraſſe uidetur: atque Ponticos arietes non agnouiſſe, quorum mentionem fecerat Ariſto. cum & hi & illi à dentibus & cornibus inopes ſint. Niſi fortaſſe dixerimus (ut Plinij partes tueamur) eum integras ſpecies reſpexiſſe, animumq́ue potius appuliſſe ad id, quod ſecundum naturam ſe habet, quàm ad id, quod accidentale eſt, atque aduentitium: quo quidem uti ſtabili fundamento iacto, conſequitur, ut ſola cameli ſpecies & dentium & cornuum mendicitate laceretur. Nec tantum dentium cornuumque caritate camelus languet, quin etiam ei aures mutilatę fuerunt. Inde in lucem prodijt adagium illud. *Camelus deſiderans cornua, etiam aures*

De camelo.

Camelum ſolum dentibus cornibuſq; uacare.

res perdidit: ſumptum ex apologo de camelis, qui per oratorem cornua à Ioue poſtularunt: ille uerò inſulſa poſtulatione contaminatus, aures adhuc excidit. In eos conuenit, qui dum peregrina ſectantur, ne ſua quidem cuſtodiunt. Porrò autem quòd camelus inter ruminantia animalia ſit recenſendus, & alimenti ventrem cornigerorum inſtar in plureis concauitates diſtinctum habeat, conſtantiſſimum ex iis eſt, quæ ab Ariſtotele lib. I I I. de Partibus ſcribuntur. *Et camelus quidem (quanquam cornibus caret) ideò non ſuperne dentata eſt, quòd ei magis neceſſarium eſt, uentrem talem habere, quàm dentes priores. Cùm itaque uentrem ſimilem non utrinque dentatis habeat, dentes etiam ſimili modo ſortitur, utpote parum neceßarios. Quinetiam cùm cibus durus ſpinoſusq; ſit, & tamen linguam eſſe carnoſam neceße ſit: natura dentium portione terrena ad palati callum, atque duritiam abuſa eſt. Ruminat etiam camelus more cornigerorum, quoniam ventres ſimiles cornigeris habeat.* Quibus Ariſtotelis uerbis penitus reſpondent, quę chartis prompſit Gal. in V I. de Anat. adminiſt. inquiens. *Sed non, quia cornigera ſunt, ideò plureis habent uentriculos, uel ruminant: quia autem durum ſpinoſumq; cibum aſſumunt, non indigent dentibus ſuperioribus: quippe & camelus, quanquam cornibus careat, tamen & ruminat, & multos habet uentres, quoniam ſpinoſum ligneumq; alimentum depaſcatur. Huius autem gratia interior quoque oris membrana ex toto aſpera eſt, & ea, quæ uentribus obducta eſt, ſimiliter.* Quæ ſanè Galeni autoritas haud leuem præbet dubitandi anſam, cùm cornigera ſuperioribus dentibus non indigere conſtanter affirmet, quia durum ſpinoſumq; cibum aſſumant. Quandoquidem eò magis neceſſarij dentes uidentur, frequentioreſq; ac robuſtiores expoſtulantur, quò ſpinoſius aſperiuſq; pabulum extiterit, ut illud frangere & emollire ualeant. In hanc ergo deſcendi ſententiam, codicem ſcilicet Græcum mendoſum eſſe, & librariorum incuria deprauatum, ita ut particula ὀυ negatiua loco καὶ copulatiuæ legeretur: qui profectò lapſus facilè irrepſiſſe uidebatur, cùm utraque monoſyllaba ſit, & in habentibus ſymbolum (vt peripatetico more loquar) haud ardua ſit & laborioſa ipſa demigratio: in quo quidem ſenſu me dein ſtabiliuit neotericus quidam uir egregiè cordatus, & alioqui maximè eruditus, quippe qui & Græcum & Latinum Galeni exemplar hoc pacto caſtigauerit. Græcum nimirum, ἀλλά τῶ φρυγανώδη τροφὴν, καὶ δεῖσθαι τῶν ἄνωθεν ὀδόντων. Latinum uerò ita reſtituit codicem. *At quia durum ſpinoſumq; cibum ſumunt, ſimulq; dentibus ſuperioribus carent.* Veruntamen quoniam pro uiribus literam ſeruare inuiolatam ſemper oportet, nec niſi coactè ad librorum caſtigationes confugien-

Cap. 14.

Cap. 3

Difficultas verborum Galeni.

fugien-

ſugiendum eſt, ipſe mecum cogitare cœpi, an fieri poſſet, ut abſque ulla contextus uiolentia, Galeni ſententia ſine ſcrupulo plana percurreret: comperi tandem quod nunc referam. Minimè igitur ignorandum uidetur, animalibus quibuſdam perfectam dentium ſeriem tribuiſſe naturam, quibuſdam verò vnà cum ruminatione plureis conceſſiſſe uentres, pro utrorumque neceſſitate ac condecentia: nec ipſam unquam in iiſdem & abſolutam dentium choream, & ſinuũ alui coetum ſimul molitam fuiſſe. Cùm itaque ruminantia ob eiuſmodi ſtatutum naturæ decretum utroque auxilio gaudere non valerent, illis profectò conducibilius fuit, plura alui receptacula unà cũ ruminatione recepiſſe, quàm ſuperiorem maxillam primoribus in-
Cap. 4. ſtructã dentibus obtinuiſſe. Quapropter Ariſt. pręcitato loco li. III. de Partibus, de camelo uerba faciens, ait. *Non ſuperne dentata eſt, quòd ei magis neceßarium eſt, uentrem talem habere, quàm dentes primores.* Vbi neceſſarium pro utili, quemadmodum peripatetici quãdoque ſolent, ſumpſit. Et, ut, quid ſentiam, fatear, Galenum opinor hoc prorſus ab Ariſtotele mutuaſſe: quod utriuſque uerba non oſcitanter conſideranti atque inter ſe comparanti ſatis ſuperque exploratum erit. Ruminantia ergo animalia ſpinoſis ac aſperis paſtionibus ueſcentia, ſuperioribus inciſoriis non indiguere, cùm ſolers natura illis tum quadripartito uentre, tum ruminatione abundè opitulata fuerit: quę duo auxilia illis magis ſalutaria fuerunt, quàm primores ſuperioris maxillæ dentes extitiſſent, quos ſanè Ariſt. hac de cauſa camelo parum neceſſarios eſſe cenſuit. Verumenimuero cùm inter cætera ruminantia edentula camelus magis ſpinoſis duris atq; aſperis enutriatur pabulis, uti ex citatis Ariſtotelis & Galeni autoritatibus compertum eſt, natura illi cornua negauit, & ex eorum materia palatum ualde calloſum conſtruxit. Neq; enim congruum uidebatur, camelo, quæ & receptaculorum alui multitudine, & ruminatione donata fuiſſet, ſuperiorem adhuc maxillam dentibus circũuallaſſe naturam, cæteris id genus ruminantibus negatis: neque inſuper conſentaneum apparebat, abſque ullo ſuffragio deſtitutam camelum relinquere. Camelo itaque opem tulit ipſa natura palati duritie, quæ quodammodo dentium munere fungeretur: quod quidem peculiare ac proprium eſt cameli priuilegium, cùm in cęteris ruminantibus carnoſa ac mollis membrana ſit palato obducta.

Quapropter decipiuntur quicunque eiuſmodi membranam in uniuerſo ruminantium genere, quæ dentibus mutilata ſint, calloſam
Cap. 1. eſſe opinati fuerint. De cameli pede diſſeruit Ariſt. lib. II. de Hiſtoria, hunc in modum. *Biſulcum id animal eſt, nec utrinq; dentatum: ſed biſulcum ſic eſt, ut pes parte ſuperiore ſciſſus paululum ſit ad fle-*

*xum digiti ſecundum: parte autem priore ſumma quadripartito findatur diſcrimine paruo, quantum primotenus digiti inflexu, & quiddam inter fiſſuras, perinde ut in anſerum pedibus adiectum contexat.* Ex quibus Stagiritæ uerbis clarè conſtat, camelum animal eſſe biſulcum: cui tamen Ariſtotelis opinioni refragantur tum Leuitici, tum Deuteronomij iam citata loca, quæ ſanè camelum ungulā diuidere prorſus negant: ſi igitur camelus ungulam non diuidit, quì fieri poterit, ut ſit animal biſulcum? Quam controuerſiam facilè ſedare poterimus, ſi in Sacris literis animal illud ungulā diuidere intellexerimus, quod eam omnino in duas ſectam partes obtineat, cuiuſmodi eſt bouis ungula: inde in illis etiam Sacræ ſcripturę locis leporem ungulam non diuidere legitur, cùm tamen pedem in quinque digitos inflectat lepus. At Ariſt. biſulci nomen latiùs ſumpſit, pro eo nimirum animali, quod aliquo pacto bipartitum habeat pedem. Quocirca animaduertens philoſophus ſe quodammodo impropriè camelum animal biſulcum appellaſſe, cùm ibi ex ipſius ſententia biſulca dicantur animalia, quæ ante retroq; pedes in duas diſcerpant partes: idcirco cameli pedem nobis ad unguem circunſcribere uoluit. Porrò quemadmodum in Diuinis literis biſulcum anguſtiùs capitur, quàm apud Ariſtotelem: ita ex aduerſo in Sacræ ſcripturæ præallegatis locis fuſiùs ruminare accipitur. Proinde lepus ruminare dicitur, quod ab Ariſtotele nequaquam concederetur: in Sacris nanq; literis ruminare haud ſolùm pro iterata attritione ſumitur, uerum etiam & pro tenui illa paſtionis attenuatione, quæ ſolis inciſoriis dẽtibus adminiſtretur, uti conſueſcunt mures, atque animantia cætera ſolis quatuor primoribus inciſoriis dentibus donata, à quibus longo admodum interuallo molares diſiuncti ſint, inter quę procul dubio annumerandus eſt lepus: quam quidem latiorem ipſius uerbi ruminare ſignificationem acceptarunt Itali, & approbaſſe uiſus eſt Albertus lib. VIII. de Animalibus, dicens. *Inueniuntur etiam quędam animalia dentes in utraque mandibula habentia, quæ ruminant ſicut mures.* Inter biſulca camelum maximum eſſe cenſuit Ariſt. in IIII. de Gen. animal. ubi ait. *Camelus biſulcum eſt, quod maximum inter reliqua eſt.* Et fortaſſe hac ratione in Diuinis literis camelus ſuperbiæ ſymbolum nobis præmonſtrat. Amplius cameli duæ exiſtunt ſpecies, Bactrianæ nempe, atque Arabiæ: quam cameli diuiſionem Ariſt. promulgauit lib. II. de Hiſtoria, inquiens. *Camelus proprium inter cęteras quadrupedes habet in dorſo, quod tuber appellant: ſed ita ut Bactrianæ ab Arabiis differant: alteris enim bina, alteris ſingula tubera habentur.* Bactrianæ igitur bina habent in dorſo tubera: Arabiæ autem ſingula, & in pectore alterum, cui incumbant, ut ſcriptum reliquit

Margin notes: Ariſt & Scripturæ diſcrepantia. — Cõciliatio. — Cameli duas eſſe ſpecies. — Cap. 11. — Cap. 14. — Tract. 5 Cap. 4. — Cap. 4. — Cap. 1.

Cap. 18 liquit Plinius in VIII. Fertur, in quadam noui orbis occidua plaga, boues degere ſingulare camelorum inſtar in dorſo tuber habentes, leoninum uerò pectus, atque caudam. Camelus à matris concubi- Cameli erga matrem obſeruantia.
Cap. 47. tu miruminmodum abhorret, uti ex ijs, quæ ab Ariſtotele lib. IX. ſcribuntur, manifeſtum eſt. *Cameli matres nunquam ſuperueniunt ſuas: ſed etiam ſi quis cogat, ipſi non patiuntur. Iam cùm aliquando admiſſarius non haberetur, curator pullum matri opertæ admiſit, qui dum coiret, delapſo operimento agnouit matrem: & quamuis coitum abſoluerit, memor tamen commiſſi ſceleris, paulò poſt camelarium illum morſu defixo interemit.* Quæ hiſtoria recitatur necnon ab Ariſtotele lib. de
Hiſt. 2. Admir. audit. Arabum teſtimonio. Inde nonnulli per camelum in matrem reuerentiam ſignificari tradiderunt. Quia camelus animal eſt, quod & maxima & grauiſſima ſuſtinet onera, prȩlio deſeruit ad ſuppellectilem commeatum atq; munimina traducenda. Sedenim cur cameli fœminȩ caſtrentur, quæ uſui militiæ eſſe debeant, Plinius Cameli fœminæ cur caſtrentur.
Cap. 18. docet lib. VIII. ſic ſcribens. *Caſtrandi genus etiam fœminas, quȩ bello prȩparantur inuentum eſt: fortiores ita fiunt coitu negato.* Reor tamen non fortitudinis gratia hoc fieri, quinetiam ne concipiant, ut magis ad motum atque labores ſuſtinendos promptæ ſint atque ex-
Cap. 50 peditæ: hoc enim innuiſse uidetur Ariſt. lib. IX. de Hiſtoria, dicens. *Cameli etiam fœminæ caſtrantur, cùm eis uti in prȩlio libet, ne concipiant vtero.* Cameli ſitim quatriduo tolerant, fuerunt & qui in duodecimum uſque diem ſine potu perdurare illos tradiderint: implenturq; cùm bibendi occaſio obtulerit, & in præteritum, & in futurũ, aquam conculcatione prius perturbantes: hinc camelus ſitiens Cameli ſitis tolerantia.
Saty. 5. Perſio dicitur.

*Tolle recens primus piper è ſitiente camelo.*

Quemadmodum inter bipeda ſtruthiocamelus oblongum geſtat collum, ita inter quadrupeda camelus, de cuius proceritate loquens Cicero in II. de Natura Deorum, dixit. *Cameli adiuuantur proceritate collorum.* Inter camelos equoſque naturalis obuerſatur ini-
Cap. 8. micitia. Cameli in medicina uſum enarrauit Plinius lib. XXVIII. hoc pacto. *Cameli cerebrum arefactum potumq; ex aceto comitialibus morbis aiunt mederi. Item fel cum melle potum hoc & anginæ. Cauda arefacta ſolui aluum. Fimi cinere criſpari capillum cum oleo. Et dyſentericis prodeſt illotus cinis, potusq; quantum trinis digitis capitur, etiam comitialibus morbis. Vrinam fullonibus utiliſſimam eſſe tradunt. Itemque ulceribus manantibus, barbaros eam ſeruare quinquennio, & hemini, pota ciere aluum. Setas è cauda contortas, & ſiniſtro brachio illigatas quatertanis mederi.* Camelopardalis eſt animal camelo haud diſſimile, cuius deſcriptionem recitauit idem Plinius Cameli in medicina vſus.

nius lib. VIII. Inter cæteras edentulorum ruminantium proprietates hæc ab Ariſtotele recenſetur in III. de Hiſtoria, quòd non mediocrem lactis gignant copiam, ſic inquiens. *Denique ruminantibus lac & copioſius, & caſeo utilius emulgetur*. Cur autem ruminantia lacte ſcateant, talis reddi poterit ratio: quia ſcilicet eorum fœtus magis lacte egeant, cùm ob dentium viduitatem fœnum herbasq́ue uirentes, ita citius, ut & alia conſueſcunt animantia dentibus inſtructa, mandere atque emollire nequeant. In calce lib. IX. de Hiſtoria, paucis oſtendit Ariſt. ſitum ac poſitionem, quam plerunque ruminando ruminantia obtineant, tempus, quo magis eiuſmodi exerceant operationem, & quænam animalia maiori utantur ruminatione: philoſophi hęc ſunt uerba. *Iacent potiſſimùm cùm ruminant omnia, & hybernis pręcipuè menſibus ſolent ruminare. Septem ferè menſibus hoc faciunt, quæ intra tecta aluntur. Gregales leuius, minusq́ tempus ruminant, quoniam foris paſcuntur*. Ruminantia dum ruminant quietem popoſcunt: quamobrem quamuis in agris, pratis, mandriſque, mediocres labores ſuſtinentia, ſtantia, iacentia, tandemq; ubique locorum, & quemlibet ſitum obtinentia ruminent: ruminant tamen plerunque (modò cicura ſint) in mandris. In agris quippe pluries arantia laborant, ſi boues bubuliuè extiterint: in paſcuis ac pratis paſcuntur: atque in mandris, ſi manſueta fuerint ruminantia, ruminant. Vnde Ergeſtus amœnæ Sannazarij Arcadiæ paſtor, hæc amatoria cecinit carmina.

*Sallo quante fiate il dì la nomini*
*Il gregge mio, che già à tutt'hore aſcoltami,*
*O ch'egli in ſelua paſca, ò in mandra romini.*

Verùm cur ruminantia magis hyeme, quàm cæteris anni temporibus ruminent, eiuſmodi forſitan ratio aſſignari poterit. Etenim hyeme durioribus paſcuntur herbis, atque ſolidioribus exaturantur alimentis, quæ diligentiori procul dubio attritione egent, ut ab innato calore confici poſſint: at alijs anni temporibus, tenerioribus ac mollioribus aluntur herbis, quæ planiùs attenuentur. Quam ſolutionem innuere viſus eſt philoſophus præallegato loco, dum inquit, quòd quæ gregatim ac foris paſcuntur, leuiùs minusq́ue ruminant, quàm quæ in ſtabulis diuerſentur: hoc enim aliunde prouenire nequit, niſi à maiori mollitie duritieuè pabuli, cùm uiridiores aridis molliores exiſtant herbæ. Item de ruminationis tempore, & ruminantium ſitu, ſic egit Plinius lib. X. *Ruminant præter iam dicta ſylueſtrium cerui, cùm à nobis aluntur. Omnia autem iacentia potiùs quàm ſtantia, & hyeme magis quàm eſtate, ſeptenis ferè menſibus*. Ruminantia cornigera, atque edentula cùm ſicciorem

Margin notes: Cap. 18. — Cap. 21. — Cur ruminantia plurimum lactis generet. — Cur hyeme magis ruminantia ruminent. — In calce lib. 9. de historia — Cap. 72

corpo-

corporis ſortita ſint temperaturam, pro adipe, ſeuo obeſa fiunt: inde Raphael Volaterranus in ſua Philologia, hæc literis commendauit. *Seuum habent cornigera, non utrinque dentata. Carentia uerò cornibus, & utrinque dentata pro ſeuo adipem habent, qui non cogitur, nec ſiccitate frangitur: quòd eius natura minus terrea.* Ad initium præſentis ſyntagmatis ruminantia cornuum expertia in duas ſecuimus claſſes, nempe quòd alia dentium egeſtate laborarent, alia uerò utranque maxillam dentibus obtuſis circunuallatam gererent: atq; de edentulis hactenus diſcuſſum eſt, cameli exemplo. Nunc igitur ordinis ratio exigit, ut illa ruminantia aggrediamur examinanda, quæ ambas malas dentium phalangis inſtructas obtinent, inter quæ ſcarus recenſetur. Hic ſpecie ſquamarum Auratis aſſimilatur, ſed & colore & ſapore præſtat, ut qui Sapphiri gemmæ radiolos imitetur. De ſcaro ſic commemorauit Ariſtot. lib. III. de Partibus. *Piſcium generi dati ſunt dentes: ſed ſerrati propè dixerim omnes. Genus enim quoddam exiguum eſt, quod non ſerratos habeat dentes, ut qui ſcarus vocatur, qui unus & ruminare meritò ob eam rem creditur. Quæ enim non vtrinque dentata cornigera ſunt, ruminant.* Ex quibus philoſophi uerbis ſatis conſtat ſcarum, nec ſerratos dentes habere, & inter innumerabiles piſcium ſpecies ipſum ſolum ruminare. Quocirca haud immeritò cenſendum uideretur, ſcarum illum piſcem eſſe, qui Ruminalis nomen ſibi uendicauerit, de quo Ariſto. lib. IX. de Hiſtoria. *Sunt etiam ex dentatis utrinque nonnulla, quæ ruminant, ut mures Pontici, & piſcis, quem ab ea re Ruminalem quidam appellarunt.* Teſtatus item eſt Ariſtot. in III. de Partibus ſcarum haudquaquam ſerratis dentibus armatum eſſe. *Piſces omnes ſerratis dentibus ſunt vno excepto, qui ſcarus vocatur: complures etiam dentes in lingua habent, & in palato.* Inſuper lib. II. de Hiſtoria. *Dentes omnia piſcium genera habent ſerratos, pectinatimq; coëuntes, excepto ſcaro, ac omnia ſerie dentium acuta, atque multiplici fulciuntur: in lingua etiam dentes nonnullis.* Ex quibus Ariſtotelis locis ſatis apparet, ſcarum non modò ſerratis dentibus atque pectinatim coeuntibus haud eſſe munitum: quinimmo dentes poſſidere obtuſos & inaculeatos. Etenim non ſerrati dentes nec pectinatim congredientes minimè ruminationis operationem expoſtularent, niſi etiam abſque ulla acie inſculpti fuiſſent: quod hominis, & equi exemplis manifeſtatur, qui quidem nequaquam ruminant, cùm tamen continuos (ut more Pliniano loquar) obtineant dentes: utpote qui acie ſint & acumine præditi. Reliqua Ariſtotelis loca, in quibus de ſcaro fit commemoratio, ſeriatim coaceruabimus, ut intelligatur, an ea uera ſint, quæ

Cap. de homœomeris.

De ſcaro.

Cap. 14.

Cap. 50

Cap. 1.

Cap. 13.

Ariſtoteli attribuerit Athenæus. Apud Ariſtotelem lib. II. de Hiſtoria legitur. *Habent quibus pauciſſimę ſunt, ſingulas branchias vtrinque, eaſq́; duplices, vt aper: alijs binæ vtrinque, alteræ ſimplices, alteræ duplices, ut congro, & ſcaro.* Alibi item eodem lib. II. *Nonnullis diuerſa omnino ſpecies ventris eſt, vt ei, quem ſcarum uocant, qui & ruminare ſolus piſcium creditur.* Et paulò infra ſcarum connumerat Ariſtot. inter piſces, quibus circa uentriculum complures exeunt appendices. In VIII. verò eiuſdem operis, inquit. *Scarus vnus inter piſces ruminare quadrupedum ritu videtur.* Et paulò ſuperius ſcarum oculata alga ueſci ſcripſerat. Et lib. IX. prodidit. *Vacat Euripus ſcaro.* Hæc omnia ſunt Ariſtotelis loca, in quibus de ſcaro commemorauit. Athenæus autem lib. VII. Dipnoſophiſtarum, hæc literis commendauit. *Scarum ait Ariſto. ſerratos dentes habere, eſſe ſolitarium, ac carniuorum, exiguum os habere, linguamq́; non multùm adhærentem, cor triangulare ſubalbidum tribulum, bilemq́; & ſplenem nigrum habere. Ex branchijs autem hoc eſſe duplex, illud ſimplex, ſolus hic inter piſces ruminat, algaq́; nutrimento gaudet, quare & ea capitur: vigetq́; æſtatis tempore.* Prima pars eorum, quæ Athenæus Ariſtoteli aſcribit, ab ipſo philoſopho ſæpius refellitur: ſecunda neque negatur, neque affirmatur: tertia uerò admittitur. Negat Ariſtot. ſcarum ſerratos dentes ſortitum eſſe, ut ex iam citatis ipſius locis manifeſtum uidetur. Neque ait, neque negat ſcarum eſſe ſolitarium, carniuorum, exiguum os habere, linguamque non multum adhærentem, cor triangulare ſubalbidum tribulum, bilemque ac ſplenem nigrum obtinere. Concedit autem & ſimplices & duplices branchias poſſidere, inter piſces ſolum ruminare, algaque veſci. Quod ad primam partem attinet, Athenæus à calumnijs facilè uindicari potuiſſet, ſic monoſyllabo interiecto. *Scarum ait Ariſtoteles ſerratos dentes non habere.* Verùm cùm ſecunda nullo firmo innixa ſit fundamento, accuſandus omnino uidetur Athenæus. Epicharmus de ſcaris meminit, dum Hebes nuptias commemorabat. Seleucus Tarſenſis teſtatus eſt unicum ex piſcibus ſcarum in piſcatorio dormire. Ouidius de ſcaro mentionem fecit in ipſius opere uetuſtate lacerato, quod Halieuticon inſcribitur, ſic canens.

Cap. 16. Cap. 17. Cap. 2. Cap. 37. Cap. 38.

Athenæi uerborum cenſura.

*Vt ſcarus epaſtas ſolas qui ruminat herbas.*

Hoc autem uolumen olim à Nigidio elucubratum aiunt. Quod de ſcaro poëta Sulmonenſis affirmauit, Aelianus lib. II. ex aliorum ſententia refert. Plinius lib. XXXII. de piſcium ingenijs diſſerens, de ſcari ſolertia memorauit, Ouidium teſtem adducens. *Mibi videntur mira, & quæ Ouidius prodidit piſcium ingenia in eo volumi-*

Cap. 53. Cap. 2.

ne,

*ne, quod Halieuticon inſcribitur. Scarum incluſum naſſis non fronte erumpere, nec infeſtis uiminibus caput inſerere: ſed auerſum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque retrorſum ita erumpere: quem luctatum eius ſi fortè alius ſcarus extrinſecus uideat, apprehenſa mordicùs cauda adiuuare nixus erumpentis.* Ouidij autem carmina, mutilata tamen, in quibus eiuſmodi ſagacitatem ſcari canit, hæc ſunt.

*Sic & ſcarus arte ſub vndis*
*Sin * * **
*Decidit, aſſumptumq́ dolo tandem pauet eſcam:*
*Non audet radijs obnixa occurrere fronte,*
*Auerſus crebro ueniens ſub verbere caudæ,*
*Laxans ſubſequitur, tutumq́ euadit in æquor.*
*Quin etiam ſi fortè aliquis dum ponè nataret,*
** * **
*Mitis luctantem ſcarus hunc in vimine vidit*
*Auerſi caudam morſu tenet, atque **
*nato, quem texitq́, reſultet **

De ſcari ingenio item locutus eſt Aelianus. Inde factum, ut ſcarus ſymbolum eſſet prudentis captiuitatis declinatoris. Non ſolus modò inter piſces ſcarus ruminat, quin & ſolus uocalis exiſtit, ut arbitratus eſt Oppianus.

*Hic ſcarus ſaxa frequentat,*
*Qui mites inter piſces clamore tremendo*
*Intonat, & ſolus pallentes ruminat herbas.*

Commonefaciendum eſt tamen circa ſcari clamorem, quòd illum Ariſtot. non admitteret, utpote qui lib. II. de Anima, ſcripſerit. *Multa autem animalium vocem non habent, ut & quæ ſunt ſine ſanguine, & ſanguinem habentium piſces: & hoc rationabiliter. Siquidem ſonus aeris motus eſt. Sed qui dicitur uocem edere, vt qui in Acheloo ſunt piſces, ſonant branchijs, aut quodam alio huiuſmodi.* Vnde in prouerbium abijt, ἀφωνότερος ἰχθύος. Ideſt magis mutus quàm piſcis. Ait Horus, quòd per ſcarum hominem voracem & ingluuioſum intellexerunt ueteres, tum quia ruminet, tum uerò magis quia obuios quoſque piſciculos depaſcatur. Scarus tantæ apud priſcos exiſtimationis fuit, ut Ennius eum Iouis cerebrum appellauerit: tantique faciebant ſcari uiſcera & inteſtina, ut Epicharmus dixerit de Hebes nuptijs loquens, neque fas eſſe Deis ſcari ſtercus abiicere. Proinde Martialis ſic modulatus eſt.

Tex.87.

*Hic ſcarus æquoreis, qui uenit obeſus ab undis,*
*Viſceribus bonus eſt, cætera vile ſapit.*

Archeſtratus in Gaſtronomia Epheſi ſcaros celebrauit, ubi eos

etiam

etiam condiendi modum docuit. Nicander Thyatirenus duo ſcarorum genera commemorauit, quorum alterum Oniam, alterum verò Varium uocarunt priſci. Scarus de illorum piſcium genere eſt, qui cùm ſub promontorijs inter ſaxa deliteſcant, ſaxatiles nuncupantur: cumque eiuſmodi piſces leui negocio ab innato ſuperentur calore, in purumque migrent ſanguinem, à medicis plurimùm commendari ſolent: quorum ſex celebriores ipſorum recenſentur ſpecies, ſcarus nimirum, merula, turdus, iulia, fuca, atque perca. Inter ſaxatiles piſces ſcaro primæ à Galeno laudes tribuuntur in III. de Aliment. facult. ubi cùm prædictas ſex piſcium ſaxatilium ſpecies enumeraſſet, de ſingulorum bonitatis gradu iudicans, hæc intulit. *Inter hos autem ſcarus excellere ſuauitate creditur: ſecundum hunc merulæ, ac turdi: tertio loco iuliæ, fucæ, ac percæ.* Et mox deinde Philotimum accuſabat, qui lib. III. de Alimentis, mollium carnium piſces referens, ſcarum ſilentio prætererierat: hæc ſunt Galeni uerba. *Ipſum ſanè iure quis demiretur, quonam pacto ſcarũ præterierit, cùm is inter piſces ſaxatiles primas teneat, quibus omnibus caro ineſt, quàm alijs piſcibus mollior ac friabilior.* Amplius ipſum increpans, ſubdit. *Deinceps autem Philotimus ſcorpium, trachurum, mullum, cernuam, glaucum inter duræ carnis piſces rectè connumerat: in eo autem peccat, quod ſcarum (qui piſcis eſt ſaxatilis) illis accenſet.* Plinius itidem li. XXXII. inter laudatiſſimos piſces principalem uocat ſcarum: nã cùm laudatiſſima piſciũ genera enumeraſſet, infert dein. *Rhombus, ſcarus principalis hodie.* Nec modò ruminatione natura ſcarum ſuffragata eſt, immo & uẽtriculorũ copia. Quandoquidẽ valde obtuſis munitur dentibus, de quorũ imbecillitate Plinius diſſerens li. XI. dixit: *Piſcium omnibus ſerrati præter ſcarum: huic uni aquatilium plani, cætero multis eorum in lingua, & toto ore, ut turba uulnerum molliant, quæ attritu ſubigere non queunt; multis & in palato, atque etiam in cauda.* Veruntamen nec ſcarus ſolus de eorũ ruminãtium genere exiſtit, quæ inaculeatis dentibus prædita ſint, quin & Pontici mures, de quibus ſermonem habuit Ariſt. li. IX. de Hiſtoria, quem locum ſuperius citauimus: de iiſdem muribus itẽ meminit philoſophus in VIII. de Hiſtoria, dicens. *Glires etiam latent in ipſis arboribus, pingueſcuntque per id tempus vehementer: itidem mures Pontici generis.* Quæ poſtrema uerba in Græco codice ſic legi ſolent καὶ ὁ μῦς ποντικὸς ὁ λευκὸς: cũ qua ſane Græca lectione aliquatenus concordat, quod à Plin. li. viij. aſſeueratur, ubi ait. *Conduntur hyeme et Pontici mures, hi duntaxat albi,* Hactenus itaque de ruminantibus cornibus mutilatis diſcuſſum ſit.

Scarum eſſe de genere ſaxatilium.

Cap. 28.

Cap. 30.

Cap. 8.

Cap. 7.

Cap. 37.

Mures Ponticos ruminare.

Cap. 50.

Cap. 17.

Cap. 37

SYNTAGMATIS SEPTIMI, FINIS.

RV-

# RVMINATIONEM MAGIS BOVI, QVAM CAETERIS RVMINANTIBVS CONGRVERE.

## SYNTAGMA OCTAVVM.

RVMINATIO quàm animantibus neceſſaria ſit, quæ vel dentium egeſtate infeſtentur, uel eorum inertia (cùm nullam aciem præ ſe ferant) labefactantur, nemo eſt, qui non uideat, qui non apertè intelligat. At uerò ſi accuratius quiſpiam ruminationem perpēderit, is procul dubio eam magis boui, quàm cæteris ruminantibus conſentaneam eſſe cognoſcet. Etenim bos non modò dentium mendicitate opprimitur, uti & reliqua ruminantia: ſed & labra adeò craſſa, atque malas adeò hebetes ſortitus eſt, ut è terræ adhuc ſuperficie germinantes herbulas, & pullulantia uirgulta illis circumplicare, ac apprehendere minimè ualeat. Quamobrem durioribus pabulis, quæ diligentiori egeant attritione, atque diuturniorem exigant ruminationem, nutriatur bos, neceſſe eſt. Tex.26. Vnde Hippocrates lib. de Articulis, ſcriptū reliquit. Tex.27. *Emacreſcunt autem boues maximè ultima hyeme.* Cuius maciei atque corporis gracilitatis rationem agglutinans, inquit. *Rectè enim ſcripſit Homerus ex omni pecore boues tempore hoc maximè pati, atque inter boues, qui arant, cùm hyeme laborent: his igitur maximè articulus excidit, quoniam maximè extenuantur. Nanque aliud pecus paſcere exiguas herbas poteſt: bos non item, priuſquam grandiores fiant.*

*Aliud enim pecus tenuem habet labrorum prominentiam, tenues item malas: bobus contra labrorum prominentia craſſa eſt, malæ item hebetes & craßæ: atque idcirco exiguis herbis non poſſunt eas ſubijcere.* Deinde etiam Hippocrates Homerum citat, qui uer bobus gratum eſſe affirmauerit, cùm illis grandior herba iucundiſſima ſit. Vere enim herbæ potiſſimum augentur, mollioreſque quàm reliquis anni temporibus exiſtunt. Quem Hippocratis locum explanans Gal. inquit. *Hæc quidem paſcere exiguas herbas poſſunt, cuiuſmodi ſunt equi, aſini, muli: at ex ijs, quæ ab una parte tantùm ſunt dentata, illa duntaxat, quibus labri prominentia tenuis eſt. Atque idcirco inter animalia, quæ herbis veſcuntur, ſoli boues hyeme paſtu indigent: quoniam nequeunt exiguã herbam aut σαρκάζειν, ideſt dentibus abſcindere, aut labris prehendere, Boues enim non habent labra ita tenuia, ut exiguam herbam circumplicare atque comprehendere poſſint, quemadmodum & capræ, & oues. Hæc tria animalium genera multifidos pedes habent: ſed ſolidi pedis ſunt, quæ vtrinque ſunt dentata.* In qua ſanè Galeni explanatione poſtrema verba negocium faceſcunt, cùm nequaquam ueritatem ſemper habeat, quòd animalia utrinque dentata ſolipeda ſint: uidemus nanq; canes, ſues, aliaque animantium genera ambas maxillas dentibus circumuallatas gerere, quæ neutiquã ſolipeda ſunt, quinimmo multifida: omnia quidem ſolipeda (unicornibus quibuſdam exceptis) ſunt utrinque dentata: at eiuſmodi propoſitio minimè retrocedit, ſcilicet quòd utrinque dentata ſolipeda exiſtant. Quapropter ſic legendum putarem. *Sed ſolidi pedis quæ ſunt, utrinque ſunt dentata.* Tex.28.

Caſtigatur Gal. locus.

De diminuta bouis herbarum inciſione locutus eſt etiam Gal. in III. de Aliment. facult. inquiens. *Porrò animalia omnia, quibus alimenta propria affatim ſuppetunt, longè ſeipſis in cibo euadunt præſtantiora: quemadmodum deteriora fiunt, quibus ea minus adſunt. Proinde quæ herbas è terra emergentes, aut arborum ſurculos, aut germina depaſcuntur, ea omnia, cùm his abundant, habitiora ſunt, ac pinguia: nobiſq; alendis accommodatiora: eaq; de cauſa, quibus herbas altiores paſci eſt naturale, hyeme, vere primo ac medio fiunt gracilia, ac praui ſucci, ut boues, qui procedente tempore maniſeſto fiunt obeſiores, ſucciq; melioris, cùm herbæ augentur, ac denſeſcunt, & ad ſemen producendum feſtinant. Quæ verò animalia humili herba nutriri queunt, ea primo ac medio uere ſunt præſtantiora, ut oues: æſtate aut prima ac media capræ, cùm ſcilicet fruticum germina (quibus capræ veſci ſolent) ſunt frequentiſſima.* Verùm ꝙ ruminatio magis boui, quàm cæteris ruminãtibus adaptetur, ſatis ſuperq; manifeſtarũt, quæ Homerus li. XII. Odiſseę cecinerit, ſub indignati Vliſſis perſona Iouem, vniuerſumq; Deorũ conſeſſum alloquẽtis. Cap.6.

*Εἰδέ μοι οὐ τίσουσι βοῶν ἐπιεικέ' ἀμοιβὴν,*
*Δύσομαι εἰς ἀΐδαο, καί ἐν νεκύεσσι φαείνω.*

Vbi Homerus aſcripſit bobus ἐπιεικέα ἀμοιβήν, hoc eſt utilem ac congruam ruminationem. Hoc idem innuiſſe viſus eſt Sannazarius dum caneret.

*Qual bue à l'ombra, che ſi poſa, & rumina.*

Quippe qui ruminantia cuncta (unico boue excepto) ſub gregis, vel armenti nomine ruminare in ſua Arcadia aſſeuerauerit. Vnde
Cap. 6. L. Columella lib. 6. ſuæ Agriculturæ languentis bouis indicia recenſens, ait. *Propter quæ bos neque ruminat, neque lingua ſe detergit.* Etenim non ignorabat rerum ruſticarum autor iſte grauiſſimus, quàm boui conſentanea ipſa ſit ruminatio: inde prius diuturniorem bouis
Cap. 2. ruminationem commendauerat, utpote quæ illius uires incolumes ſeruet. Silere nequeo naturæ myſterium, quæ in ruminantium ore propagines quaſdam aculeatas, multaſque in palato inæqualitates, utraſque ad fauces conuerſas conſtruxerit. Quandoquidem cùm eiuſmodi animantia pronè paſcantur, atque primoribus ſuperioris maxillæ dentibus fuerint deſtituta, oſque molli membrana obductum ſortita ſint, pabulum facilè ex ore lubrico atque inermi elaberetur: hæ uerò palati inæqualitates ac plexus in boue prominentiores conſpiciuntur, atque ſerræ inſtar in minimas quaſdam diſtributæ appendices, ne tam facilis eſſet paſtionis procidentia. Nec immeritò ſanè natura in moliendo bouis ore oculatiſſima fuit, cùm humano generi bos tantas præſtaturus eſſet utilitates. Sed quæſo bouis Bouis laudes.
laudes enarremus: quadripartitas autem ipſius laudes hac ſerie proſequemur, ut à frugalitate primùm, mox à numiſmate, dein ab inſomnijs, & poſtremò à religione bouem prædicatione efferamus. Ob frugalitatem, bouem terræ ſymbolum ſtatuerunt ueteres, cùm Bouis laudes à frugalitate.
ab Argo tot luminibus cuſtoditam fabulati ſunt, ut terræ globum à cœli vertigine innumeris ſtellis colluſtratum innuerent. Apud Perſas inſuper barbara cerimonia taurus, fronte in leoninam faciem conficta, ex antro cornibus arreptus ad aras educebatur, de quo Papinius.

*Indignata ſequi torquentem cornua mitram.*

Nanque cùm taurus (ut ait Valerianus) animal terrenum ſit, ideoque terræ, inferiſque numinibus deſtinatum, ac Soli ab ijs populis damnatum, uim eam oſtendere uidebatur, quam in uniuerſam terram Sol exercet: quòd autem ex ſpecu educeretur, deliteſcētem eius vim in terræ uiſceribus indicabat, quam ut auocarent, & frugum feracitati conſulerent, eiuſmodi ſacrificium inſtituerunt. Symbolum

item terræ fuit bos ille, qui decuſſo iugo quaſi defeſſus ad Veſpaſiani cœnantis pedes procidit, ceruicemq́ue ſummiſit, portendens orbem terrarum acerbiſſimo Vitellianæ dominationis iugo preſſum, à Flauia gente opem depoſcere. Phœnices literarum inuentores primæ uocalis nomine bouem appellabant, quæ nullis inſtrumentis libera pronunciatur, quaſi ex imo barathri, cùm & terra humanæ conſulat infirmitati. Inde bouem Græci, quòd terræ laboribus exercendis ſit deſtinatus, γαῖον appellarunt: & Verg. lib. 1. Georg. modulatus eſt.

*Hæc cùm ſint hominumq́, boumq́, labores*
*Verſando terram experti.*

Bos hieroglyphice laborem & tolerantiam ſignificat: quocirca ſi fructum ex laboribus perceptum indicare uoluiſſent, bouis caput floribus atque corollis exornabant priſci, corymboſque & ſerta hinc inde à cornibus ſuſpendebant. Ob bouis in laboribus ſuſtinendis patientiam, datus fuit adagio locus. Bos ſub iugo. Quod quidem ijs accommodatur, qui perpetuo labore fatigantur. Quare Tyriis Carthaginem ædificare aggreſſis bouillo capite reperto ædificationem prætermiſerunt, donec equi mox adinuento capite, læti alacresq; belli ſignum accepiſſent. Mathematici aiunt, Tauro aſcendente genitos, laborioſos eſſe & perpetuæ deditos ſeruituti. Amplius bouis frugalitas per id comprobatur, quod à Liuio de Minutione augere ſcribitur, cui extra portam Trigeminã, auratam bouem poſuit populus, quòd intimis nundinis farris pretium ad aſſem redegiſſet: farre enim per. c c c. annos ab Vrbe condita populum Romanum uictitaſſe teſtatus eſt Verrius Flaccus. Tantum multiplicemq; bouis erga hominem uſum animaduertens Heſiodus, bouem inter familiæ partes recenſere minimè ueritus eſt: nam lib. qui inſcribitur Opera & Dies, domum ex uiro, muliere, & boue aratore conſtare iudicauit, cuius autoritatem citauit Ariſt. in 1. Cap. 1.
Bouis vtilitates. Polit. Quinque bouis utilitates enumerauit Gloſſa ſuper Exod. bos Cap. 22.
enim immolatur, arat, paſcit carnibus, lac dat, & corium diuerſis vſibus miniſtrat: & ideo pro boue uno ſurrepto, & occiſo, uel uendito (ut in litera habetur) quinque boues reddebantur. Veterum Germanorum extitit inſtitutum, uxori ducendę boues iunctos, frænatum equum, & ſcutum cum framea, gladioq; mittere dotis nomine, ut uxor (Tacito teſte) uenire ſe laborum periculorumq; ſociam intelligeret: laborem enim iuncti boues, bellum paratus equus & data arma denuntiabant. Heſychius in Sacris literis per bouem eum accipit, qui mandata tantùm legis ſimpliciter obſeruat: Eucherius

uerò

uerò ſignificationem ad omnes trahit, qui uitam laboribus exercēt: & Moſaicum illud, Non alligabis os boui trituranti, interpretatur, ut neminem mercede ſua fraudandum intelligat. Ob incomparabilem bouis in ruſticis laboribus ſuſtinendis patientiam ac tolerantiā apud ueteres decretum fuerat, ut tam capite plecteretur, qui bouem ſine ulla ratione, quàm qui hominem occidiſſet: & quoſdam à Romanis factos fuiſſe exules legitur, quòd bouem tanquam colonum interfeciſſent. Bouis frugalitatem demonſtrarunt ueteres, qui fabulati ſunt Naiades cornu, quod Acheloo in ſpeciem tauri mutato detraxerat Hercules, omnium fructuum primitiis cumulatum Copiæ conſecraſſe: de quo Ouidius lib. IX. Metam.

*Nec ſatis hoc fuerat, rigidum fera dextera cornu*
*Dum tenet, infregit, truncaq́ à fronte reuellit:*
*Naiades hoc pomis, & odoro flore repletum*
*Sacrarunt, diueſq́ meo bona Copia cornu eſt.*

Cuius quidem fabellæ eiuſmodi aſſignari poterit allegoria. Hercules rationalem animæ partem præmonſtrat: Achelous in tauri ſpeciem mutatus irrationalem denotat partem, quæ cum rationali congreſſa atque ab illa ſuperata, Naiades, hoc eſt muſę eam moralibus uirtutibus imbuunt: & in ipſomet cornu, ideſt ſenſitiuo appetitu (cornu enim feritatem ſignificat) qui prius petulantia ferebatur, uirtutes omnes recipiuntur morales: pars verò rationalis, quæ rerum eſſentias contemplatur, & contemplando earum cognitionem adipiſcitur, ut omnium denique ſpecierum habitu decoretur, conſecrari Copiæ dicitur. Ob bouis erga genus humanum utilitatem, Iupiter in Europæ amoribus (ut fabulata eſt antiquitas) tauri formam aſſumere minimè ueritus eſt: Aſtrologi tamen putarunt hoc contigiſse, quia taurus circuli ſigniferi ſydus, Veneris domicilium ſit. Nec dedignatus fuit Apollo boum paſtorem fieri. Tibullus lib. II. Elegiarum.

Cornucopiæ allegoria.

*Pauit & Admeti tauros formoſus Apollo.*

Quicquid tamen ſcripſerit Callimachus in Apollinis hymno. Bouis laudes à numiſmate hoc pacto petuntur. Etenim Plutarchus bouis figuram in numis cudere inſtitutum à Theſeo tradit, uel ob Taurum Marathonium, quem ipſe edomuerit, uel ob Minois ducem, quem ſingulari certamine deuicit: uel ut hoc honore bobus præſtito ciues ad agriculturam alliceret. Erant in Draconis legibus irrogata multa δεκάβοιον. In ſpectaculis, quæ Deli celebrabantur, præco pronunciare ſolitus erat, tot boues datum iri: unde putarunt quidam, Deliorum bouem potius fuiſſe numum, quàm Athenienſium

Bouis laudes à numiſmate.

ſium. Sedenim de numo Athenienſium boue ſignato, hoc pacto cõmemorauit Pollux. *Bos antiquum apud Athenienſes numiſma, quod bouem ſignatum habebat: commutabatur duabus drachmis Atticis: hinc prouerbium.* βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν. *ideſt, bos in lingua uenit: in eos, qui argento corrupti ſunt. Hoc Homerus numiſma ſignificare uidetur uoluiſſe, dum loquitur de permutatione boum loco precij:* ἑκατόν βοίων, καὶ ἐννεά βοίων. Adagium à Polluce citatum de iis efferebatur, qui accepta ab aduerſarijs pecunia, mox præuaricati ſuſceptas cauſas deſeruere, uti feciſſe Demoſthenes legitur, qui etiam id ſibi gloriæ uertit, quòd ut taceret plus accepiſſet, quàm qui diu orauerat. Boues iuncti in Veſpaſiani Imperatoris numo erant ſignati. De pecunia bouis imagine inſculpta locutus eſt Plautus in Perſa. *Boues bini hic ſunt in crumena.* Quòd antiqua pecunia quandoq; boues ſignatos reciperet, quandoque uerò oues, Plinij extat locus lib.XVIII. *Seruius Rex ouium, boumq; effigie primus æs ſignauit.* Lib. 9. Cap. 3

Bouis laudes ab inſomniis.

Bouis encomia hoc modo ab inſomniis capiuntur. Apud enim coniectores, arantes boues imaginari, lætiſſimam prænunciant frugem, & opulentam rerum fœlicitatem. Quin & nomen boui à nutriendo factum, βῶ quippe nutrio: labore enim ſuo in exercenda terra continuò nos nutrit. Item apud coniectores Hebræos legitur laſciuientem currentemq; taurum per ſomnium imaginari, futuræ lætitiæ ſignum eſſe: addi uerò lucri ſignificatum, ſi paſcentes tauri viſi fuerint. Quantam gloriam Ioſeph adeptus fuerit ex interpretatione ſomnij Pharaonis, ſatis manifeſtarunt Diuinæ literę, quippe qui ex ſeruitute dura primas poſtea apud Regem partes obtinuerit.

Bouis laudes à religione.

Bouem à religione ſic commendabimus. Siquidem Aegyptij Iouem per bouem ſignificarunt: unde Pierius Valerianus chartis prompſit lib.III. Hieroglyph. *Neque Græci tantùm mutatum in bouem Iouem finxerunt, uerùm etiam Aegyptij Iouem illum ſuum, qui & Oſyris, & Pater, & Iuſtus, & Dux, & Rex, & Conſultor in ſacris eorum literis appellatur, per bouem indicabant, eumq; Apim cognominauerunt: quem quidem tanto proſecuti ſunt cultu, ut ingentia ſuper eo uolumina ſcripta fuerint à pleriſq;: eoq; uanitatis progreſſum, ut eum boue alioqui ſterili genitum prędicarent. Bouem nanque fulgure afflatam fieri grauidam, eoq; conceptu Apim naſci perſuaſum habuere. Apis toto corpore niger erat, in fronte candorem quadræ præ ſe ferebat, in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos: qui uerò multis locis ſculptus uiſitur, Lunæ etiam ſpeciem in latere geſtat. Atque hic ille eſt Apis, quem Hebræi, Moyſe in monte moram trahente ſibi Deũ conflauere, eam ſecuti conſuetudinem, quam in Aegypto eſſe conſpexerant.*

*rant*. Celebre ſacrificium rudis inſtituerat antiquitas, in quo libando centum boues Diis ſuis immolabant ueteres, & idcirco Hecatóbe dictum: pręcipuè tamen Ioui aſcriptum. Hinc Iupiter Hecatombæus cognominatus fuit, de quo Lilius Gregorius Gyraldus lib. de Hiſtoria Deorum prodidit. *Hecatombæus Iupiter in Gortyna, vt Heſychius ait, appellatus eſt à Caribus, & Cretenſibus*. Sed inanes haſce Gentium ineptias relinquentes cùm Hieroſolymitano Heſychio dicamus pleriſq; Diuinarum literarum locis bouem poni pro homine, qui iuſtitiæ ſit operibus intentus. Nunc cæteras bouis laudes conſultò præterire uolo, nempe quàm eſui ſit utilis, quàm dulce eius lac, quàm gratus caſeus, quàm utile corium: ungulę etiam ipſius & cornua in humanos traducuntur uſus. Hoc tamen ſilere nequeo, quòd apes, quæ ſuauiſſimum mel pariunt, ex bouis uiſceribus reparantur. Etenim ſcripſit Plinius lib. XI. *In totum uerò amiſſas reparari uentribus bubulis recentibus cum fimo obrutis. Vergilius iuuencorum corpore exanimato, ſicut equorum veſpas, atque crabrones, ſicut aſinorum ſcarabeos mutante natura.* Vergilij autē locus à Plinio adductus eſt in IIII. Georg. ubi hæc carmina modulatur.

Synt. 2. · Cap. 20.

*Hic verò ſubitum, ac dictu mirabile, monſtrum*
*Aſpiciunt, liquefacta boum per uiſcera, toto*
*Stridere apes utero, & ruptis efferuere coſtis,*
*Immenſaſq; trahi nubes, iamq; arbore ſumma*
*Confluere, & lentis vuam demittere ramis.*

Verumenimuero quemadmodum terrenus hic bos noſter, homini, qui paruus mundus nuncupatus fuit, frugi eſt: ita & cœleſtis bos inferiori mundo innumeras præbet utilitates, quem cùm Sol occupat annus reuiuiſcit, atque floridus conſpicitur. Inde Maro lib. I. Georg.

*Candidus auratis aperit cùm cornibus annum*
*Taurus*. Et in Bucolicis.
Eclog. 3 *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,*
*Nunc frondent ſyluę, nunc formoſiſſimus annus.*

Vergilium lepidè ſic imitatus eſt Franciſcus Petrarca.

*Quando'l Pianeta, che diſtingue l'hore,*
*Ad albergar col tauro ſi ritorna;*
*Cade virtù da l'infiammate corna,*
*Che ueſte il mondo di nouel colore.*

Sed ad bouem noſtrum terreſtrem redeamus. In ſummo dorſo Auentini, maximi Romæ collium, Lunæ fanum erectum fuerat, in cuius ueſtibulo ex vetuſto ritu boum cornua affigebantur, cùm in reliquis

liquis Dianæ templis ceruorum cornua appenderentur, de qua varietate Plutarchus in Quæſtionibus Romanis. *Cur reliquis Dianæ fanis ſoliti ceruorum cornua affigere, ei, quod in Auentino eſt, boum cornua affixerunt? Fortaſſis ut monimentum eſſet antiqui caſus. Fuit quidam in Sabinis Antro Coratius, is uaccam habebat magnitudine & forma reliquis præſtantem: monituſq; à vate quodam, qui in Auentino bouem hanc Dianæ immolaſſet, ei fata ſummam poteſtatem deferre, urbemq; ipſius Italiæ totius regno potituram: Romam ſe contulit bouis ibi mactandæ gratia. Seruus autem Regi Seruio clam id uaticinium, idque Rex Cornelio Pontifici indicauit. Tum Cornelius Antroni mandauit, ut ante ſacrificiū aqua Tiberis profluente ſeſe ablueret: ſic enim legibus præſcriptum eſſe litaturo. Ita hic lotū abijt. Interim Seruius occaſionē immolandæ vaccæ in honorē Dianæ præcepit, mactatæq; cornua tēplo affixit. Hoc & Iuba narrat, & Varro, niſi quod hic Antronis nomen non habet, deceptumq; non à Cornelio ſacerdote Sabinū, ſed ab æditituo refert.* Extat inſuper S.C. de ludis Apollinaribus primùm faciendis, quod Macrobius commemorat lib. 1. Satur. in quo Decemuiri præceperunt, ut Græco ritu hoſtijs ſacrum facerent, Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis: Latonæ boue fœmina aurata. Ludos in Circo populus coronatus ſpectare iuſſus eſt. De quo quidem ſacrificio Sulmonenſis ſic cecinit. Quæſt. 4.

*Indutaq; cornibus auro*
*Victima vota facit.* Et alio in loco.

*Blandis indutæ cornibus aurum*
*Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ.*

Verg. item lib. x. Aeneidos.

*Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum.*
*Candentem, pariterq; caput cum matre ferentem.*
*Iam cornu petat.*

Iuuenalis inſuper, & poëtæ alii de eiuſmodi ſacrificio commemorarunt. Verùm circa bouis paſtionem, quiſpiam fortaſſe ambiget, nempe quì fieri poſſit, ut bos ruminandi gratia deuoratum pabulum ad os propellat. Siquidem cùm primum roſcida aurora in cœleſti orientis plaga apparet, uigil bubulcus iugo ſaturos boues coniugatos cogit, ut duras terræ glebas ſcindant, donec heſperus ueniat, quo ſanè tempore boues ſoluens ad paſcua reducit: quod cùm ſit, fieri nequit, ut inter cibos à boue noctu manſos, & poſt operam ingurgitatos ruminatio intercedat, quæ quietem popoſcit. Hæc ambiguitas ſic diſſipari poterit, quòd noctu boues non modò mandunt, quin & uiciſſim ruminant. Ampliùs boues ruminant quo-

Inſtantia.

Solutio.

que

que, dum leuiores ſuſtinent labores. Item contingere poterit, ut in pratis boues quieſcant, atque ruminent. Atqui hac de re conſulendi ſunt bubulci atque paſtores. De bouis genere uidetur Vrus bos Germanicus, quem propter ferocitatem, uel nunquam, uel difficulter capi aiunt, & ſalutis ſpe fruſtrata præ ita ſemetipſum ſuffocare: & idcirco eum nonnulli impatientis captiuitatis hieroglyphicum propoſuerunt. Cæterùm priuſquam hoc noſtrum de Ruminantibus opus ad exitum perducamus, tollenda eſt noua difficultas. Etenim uideretur naturam debuiſſe hominem non modò dentibus munire, ſed & illi tum ruminatione, tum uentriculorum copia ſuppetias tuliſſe: præſertim uerò, cum ętatis progreſſu ob deſtillationes, raros ut plurimùm, corroſos labefactatoſque habeat dentes. Quocirca quod ſcriptum reliquit Bartholomæus Euſtachius lib. de Dentibus, non uidetur ſatis ratum: nempe quòd eiuſmodi auxilio haud egeat homo, quia inciſoriis dentibus utrique maxillæ affixis, duploque numero caninis ſuperioribus, cibos, gladiorum inſtar, perfectè incidat. Amplius maiorem debuerat natura adhibuiſſe curam in humana fabrica, quàm in reliquis animantibus, cum homo non modò rerum artefactarum finis exiſtat, uti putauit Ariſtot. in 11. Phyſ. ſed & rerum natura conſtantium: hinc legimus in ſacra Geneſi ſanctiſſimam Trinitatem ſic ſecum locutam fuiſſe. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in aqua, &c.* Mercurius itidem Triſmegiſtus in Pimandro, ſcriptum reliquit. *Deus enim re uera propria forma nimium delectatus, opera eius omnia vſui conceſſit humano.* Quamobrem cùm homo ſit ſumma rerum, eum ſummus rerum Opifex poſt totius orbis terrarum fabricam creauit, ut quòd latiſſimè diffuderat inter anguſtiſſimos humanitatis cancellos coarctaret. Hæc hominis præconia pſalterio concinebat Dauid. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: oues, & boues, inſuper & pecora campi.* Debebat ergo natura ob hominis dignitatem, in eius conflando corpore omnes intendere neruos, cunctoſque promouere conatus. Veruntamen ut ipſius naturæ partes tueamur, dicamus oportet, illam homini & ratione & manu cumulatiſſimè ſuffragatam fuiſſe. Ratione quidem, ut uaria homo excogitare poſſet inſtrumenta, uarioſque inuenire modos, quibus eſcas corrigeret, & præpararet: manu uerò, ut quod excogitatum fuerat atque inuentum fabrefaceret. Proinde Ariſto. ſect. xxx. Probl. promulgauit. *Natura parens, & autor omnium, inſtrumenta nobis duo inſeruit, quorum opera*

Obiectio.

Cap. 27.

Omnia gratia hominis

Cap. 24.

Cap. 1.

Dialo. 1.

Cur homo nouiſſimè fuerit creatus.

Pſal. 8.

Solutio.

Probl. 4

*inſtrumentis extraneis vti valeremus: manum inquam corpori dedit, animo mentem: eſt enim mens quoque rebus à natura nobis imperitis annumeranda, vicem ſanè gerens inſtrumenti.* Et de manu diſſerens in III. de Anima, hæc monumentis prodidit. *Manus enim inſtrumentum inſtrumentorum.* Et lib. IIII. de Partibus, memoriæ propagauit. *Manus autem eſſe videtur non vnum inſtrumentum: ſed multa. Eſt enim (vt ita loquar) inſtrumentum ante inſtrumenta. Natura igitur ei, qui artes plurimas recipere poteſt, manum reddidit, quæ ad plura inſtrumenta vtilis eſt.* M. Tullius item lib. de Natura Deorum, manus multarum artium miniſtras eſſe aſſeuerauit. Nutrimenta itaque cùm ab homine multifariam præparari ac caſtigari poſſint, externa nimirum ignis coctione, gladij inciſione, mallei contritione, flagelli contuſione, & aliis modis eſculentorum condimenta opiparè inuicem condiantur: ſuperuacaneum prorſus videretur homini naturam tum ruminatione, tum ventriculorum caterua beſtiarum more ſuffragatam fuiſſe, cum maiori artificio diligentiſſimè illi opitulata fuerit, ac cumulatiſſimè ſatisfecerit. Hæc ergo ſit huiuſce noſtræ de Ruminantibus Hiſtoriæ anacephalæoſis. Quid igitur ſit ruminatio, quòd in ruminantibus paſtus ad fauces repant, de ruminantibus animalibus, & quòd boui ruminatio magis conſentanea ſit, hactenus à nobis determinatum.

Tex. 38

Cap. 10.

Operis peroratio.

## SYNTAGMATIS, NATVRALIS de Ruminantibus Hiſtoriæ, octaui ac vltimi, finis.

HIE-

# HIERONYMI BOVII DOCTORIS THEOLOGI

## In Obtrectatorem Tetraſtichon.

*Pulchra Theonino hæc fugias ſyntagmata dente,*
*Carpere, qui morſu rodere cuncta cupis.*
*Sæpe manet linguam non ſegnis pœna loquacem,*
*Si non vis alijs parcere, parce tibi.*

## E I V S D E M

## In Inuidum Diſtichon.

*Omnibus an ne doles cur hæc perlecta probentur?*
*At doleas ſperni vix tua lecta ſemel.*